

EPIGRAMMATUM
MISCELLANEORUM,
SACRORUM, ET PROFANORUM

LIBRI III.

CONSCRIPTI

A

FRANCISCO BABAI,

PRESBYTERO

ARCHI-DIOECESIS STRIGONIENSIS.



Josephus Lipicz



TYPIS TIRNAVIENSIBUS,

ANNO MDCCLXXVII.

AD LECTOREM.

Cum feuerioribus disciplinis potiffimum Viennæ operam darem, horis minus impeditis veluti animi caufa ad nunquam mihi non dilectas Mufas amoeniores identidem reuertebar; quarum adjutus ope Epigrammata cum facra de *Magna* imprimis *Ungariæ Domina* B. V. MARIA, tum profana de vario argumento haud temnendo numero composueram. Ad res subinde patrias metricè confcribendas animum adjeci; jamque *Ungariæ Reges, Palatinoſ, & Archi-Epiſcopoſ Strigoniēſeſ* metrico compendio deduxi, ac ternis tomulis in lucem publicam typis Tirnavienſibus evulgavi. Labore iſthoc perfunctus ad recolenda, ac velut e fuga retrahenda Epigrammata mea ſum converſus, atque ex omni numero pauca, eaque nonnihil elimata, adjectis etiam novis aliquot, nunc publici juris facio. Alia, quia mutato rerum, temporumque habitu lucem minus ferunt, ſub lare privato manere juſſi; multorum nec memini, ut quæ non connotarim. Porro ut hoc, quidquid eſt, opellæ cum publico communicare vellem, movit me cumprimis fru-

A B L E C T O R E M.

Stus is, qui ex Poësi Epigrammatica in bonarum literarum studiosos redundare consuevit. Præterquam enim quod, dum Coelitum, Principum terrestrium, Virorum illustrium res gestas cum laude passim recensemus, debitum eis amorem, ac venerationem in legentium animis excitamus, atque ad imitandum, qua licet, provocamus, Poësis quidem Epigrammatica ceu anima totius ceteræ Poëseos ab Eruditis merito suo semper æstimata est; neque enim ullum Poëma magnopere commendari meretur, quod argutis ludentis ingenii acuminibus, quasi quibusdam luminibus, non illustretur. Oratores ipsi id genus sales, & argutias studiose consectantur, tum ut tædium auditoribus levent, tum ut dictionibus suis gratiam concilient. Cicero sane in Orationibus, aliisque scriptis suis sæpenumero perfacetus, argutusque est; qua de re in *Orat. pro Plancio* gloriatur etiam. Quid? quod homines ingenui, ac docti innocuis ingenii salibus vel colloquia familiaria condire assoleant, probe gnari, esse tempus non flendi modo, sed & ridendi. Augustissimus certe Imperator
noster

A D L E C T O R E M.

noſter JOSEPHUS II. adeo cum dignitate argutus ſubito, ac quaſi ex tempore, perſæpe eſt, ut multi Poetarum nec meditato idem præſtare queant. Horum aliquos ſermones, Viennæ cum degerem, populari, ut fit, rumore edoctus, in Epigrammata mea retuli, non quo decus illis ullum adderem ego, ſed potius ut illi verſibus meis. Ceterum præcipio animo, fore nonnullos ex genere Catonis Cenforii, a quibus Epigrammatum meorum non pauca, tamquam nimium levia ſpectato & argumento, & cogitandi, enunciandique modo, traducantur. Verum hi, ut modeſtiſſime dicam, tam ſua ſe inſcitia, quam priſcorum Poetarum injuria plus ſatis confutant: ſic Princeps Epigrammaticorum M. Val. Martialis, ſic Catullus, ſic Owenus, ſic alii veteris, ac recentioris ævi paſſim ſcripſere. Et ſi quidem Martiali de duobus vetulæ dentibus, quorum unum una, alterum altera exſpuerit tuſſi, ſcribere, ac jocari licuit, cur ſimile quid nobis attentare nefas fit? Id equidem ſedulo cavimus, ut ne Muſæ noſtræ quidquam Veneris olerent, neu cuiquam rubori eſſent: ſicubi

A D L E C T O R E M.

perstringunt modice aliquos, id agunt vel nullo, vel personato nomine, memores legis a Martiale sibi statutæ:

Hunc servare modum nostri didicere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Ad sacra quod attinet Epigrammata, in his ego pius magis, quam acutus Vates esse con-
nitebar, grande ratus operæ me laturum pre-
tium, si quis forte lectis iis pariter pius magis,
quam acutus discedat. Fateor nihilominus ef-
se in hoc Opusculo Epigrammata quæpiam,
quæ nec mihi parenti suo satis arrideant; ne-
que tamen idcirco aut mutanda, aut omitten-
da censui, experientia quippe edoctus, pla-
cuisset aliquando aliis. Nimirum varii sunt ho-
minum gustus, placetque alteri, quod alteri
displicet, ut adeo censeant sapientes de gusti-
bus ne quidem disputandum esse. Jam si quæ-
ras, quidnam Epigramma sit? ea vox, si *ety-
mon* spectes, nihil aliud, quam *inscriptionem*,
sive *titulum* sonat; *ἐπιγράψω* enim est *inscribo*,
superscribo. Nunc Carmen significat breve,
rem quampiam ingeniosè, graviter, aut ar-
gute, faceteque concludens. Stylus fere fami-

A D L E C T O R E M.

liaris, ac sæpe humilis potius, & neglectus, quam sublimis, atque ampullatus, idque pro materiæ, & acuminis exprimendi ratione. Sic quid hoc Martialis Epigrammate simplicius?

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere,
quare;

Hoc solum possum dicere: non amo te.

Et tamen *antipathia*, quam vocant, vis isthoc Epigrammate egregie exprimitur. Invenies id genus simplicia Epigrammata & in nostro Opusculo. Sed jam, ne te, Lector benevole, ab eorum lectione diutius morer, lassumque ad primam paginam dimittam, Proloquio finem imponam. Id te solum ad extremum etiam, atque etiam rogatum velim, ut si Auctori potius, quam Lectori tibi (quæ virtus rara, & cara est) favere velis, sicubi in Epigrammatis meis aut acumen non repereris, aut repertum etiam minus tibi sapuerit, alterum ingenio tardiusculo tuo, alterum palato non sat belle se habenti attribuas potius, quam mihi utrumvis vitio vertas. Vale.

PROGRAMMA


AD

MAGNAM UNGARORUM DOMINAM
B. V. MARIAM.

*Ungariæ Dominæ laudum tibi, Virgo, tributum
Subditus exiguo Carmine pendo tuus.*

*Nec cano, quod nostræ credam te laudis egere,
Carminibusque meis crescere posse putem;*

*In mare sed guttam, de quo mihi sumpta, refundo,
Et Jamque solo dandus testor: amata mihi es.*



EPIGRAMMATUM
MISCELLANEORUM
LIBER PRIMUS.

*S. Stephanus Rex jam jam moriturus Coronam
Ungariæ offerre B. Virgini in imagine re-
presentatur.*

Ungaricam reddo tibi , Regia Virgo , Coronam ;
Instat , ut accingar nobiliore caput .
Ista licet fuerit meritis haud debita nostris ,
Æthereæ certe pignus & instar erat .
Servo fidem , rectum & cursum , & certamen obivi : A)
Æthereum capiti da diadema meo .
Regna tuo dono fuerant mea , sint tua dono
Regna meo : jam te , non tua , Virgo , volo .

A 5 Ma-

A) Bonum certamen certavi , cursum consummavi , fidem ser-
vavi ; in reliquo reposita est mihi Corona justitiæ . 2.
Tim. 4.

Magna Ungarorum Domina.

Ungariæ *Magnam Dominam* te, Virgo, creavit
Rex Stephanus: *Magnum*, quidquid is egit, erat.

*S. Ladislai R. mortui corpus sine jumentis ad-
vebitur in Varadinensem Ædem B. V.*

Tecta Ladislaus Varadini Regia prorsus
Surgere *Patronæ* jusserat *Ungariæ*.
Perdus, ac pernox Rex illic Divus agebat,
Patronam solitus sollicitare prece.
Et quamquam longe nonnunquam diffitus esset,
Corde sacra fixus semper in Æde fuit.
Mortuus arcana vi vectus fertur in Ædem:
Cor quæsierunt cetera membra suum.

*S. Emericus Dux Ungariæ audit: Virginitas
placet.*

Veszprimii sacris Emericus in Ædibus orat,
Indicet ut Virgo, quæ sibi grata forent.
Virginitas placet, illa refert; mora nulla: perenni
Se Princeps voti religione ligat.
Rex Pater ignorans icti cum Virgine pacti,
Foedus, ait, debes pangere, Gnate, tori.
Fecit utrique satis: foedus sociale peregit,
Jure tamen nunquam foederis usus erat.

Effigies B. V. in nummis Ungaricis.

Ungaricos nummos insignit forma MARIE;
 Quilibet ut nummi est, sic sit ut ejus amans.

JOSEPHUS II. Imperator frumentum copiosum,
 & 500000. aureorum, tempore famis Bohemis,
 & Moravis dedit Anno 1771.

Aurea JOSEPHI Moravis dedit atque Bohemis
 Frumentum, atque auri pondera multa manus.
 Auri sacra fames Moravos magis atque Bohemos
 Torserat haud unquam, quam dominante fame.
 Huic utrique fami JOSEPHI dextra medetur,
 Frumento, ac auro cum levat usque malum.
 In quorum saccis frumentum condit, & aurum,
 Hos certe JOSEPH Benjamin instar amat.

*Ejusdem amor in Cives Viennenses tempore
 incendii.*

Vulcanus flammis cum Civica tecta cremaret,
 Cæsar conscenso mox properavit equo.
 Mixtaque dum populo conspexit Cæsar's ora,
 Erubuit flammæ continuare suas.
 Atque ait, o Princeps! superas incendia nostra
 Illo, quo populum diligis igne tuum.

Ejus-

*Ejusdem utraque Conjux, & filia unica
defunctæ.*

Cæsaris Uxores, & Gnatam mors tulit atra;
Totus ut in populi vivat amore sui.

*M. THERESIA Augusta S. Stephani R. allatam
Ragusa Dexteram Ungariæ reddidit An. 1771.*

Pannoniam plusquam regali munere ditas,
Cum donas Stephani, diva THERESA, Manum.
Hæc est illa Manus, quæ quam trepidabilis hosti,
Tam fuit in Patriæ commoda larga suæ.
Tempus ad hoc summis cumulasti, diva THERESA,
Pannoniam meritis, muneribusque tuam.
Adjicis ad cumulum sacratam denique Dextram,
Suppleat ut Dextram post pia fata tuam.
Nunc age, lætitiis frenos, Gens Ungara, laxa;
Aurea secla tibi Regia Dextra refert.

*Inscriptio in fronte Universitatis Tirnaviensis,
instauratæ Anno 1772 : MARIA THERESIA
AUGUSTA, MATER AUGG. MATER PA-
TRIE, MATER SCIENTIARUM.*

Augustæ sobolis, Patriæ, doctæque Minervæ
Est fœcunda nimis Magna THERESA parens.
Augustæ soboles tot se fecere parentem,
Matribus invidiæ possit ut esse scopus.

Servat ab exitio Patriam, lactatque favore;

Ex merito Patriæ dicitur ergo parens.

Prisca novat doctæ, nova condit tecta Minervæ;

Præ Jove quis Matrem Palladis esse neget?

Dignior hac tanta nequit stirps Matre creari,

Stirpe nec est tanta dignior ulla parens.

*Imago gratiosa B. V. Auxiliatricis in suburbio
Viennensi.*

Auxiliatricis me nomine magna Vienna

Signat, & auxiliis statque vigetque meis.

Belligeræ plantis calcavi cornua Lunæ;

Raptaque de turris vertice signa tuli.

A jugulis Bavaræ discussi castra Minervæ,

Vernat & auspiciis pacis oliva meis.

Instar inaccessi me Cives aggeris ergo

Hicce suburbanis constituere plagis.

B. Virgo in Sole picta.

In Sole est Virgo, Sol est in Virgine; nullam

Attamen eclipsin Virgove, Solve subit.

*Ad Ignatium Kampmiller Augustæ a Con-
fessionibus.*

Dispensatorem sacrarum Reliquiarum

Te, Pater, Astricolæ constituere suum.

Spar-

Sparſaque Divorum dum colligis oſſa per orbem,
 Virtutes Divi dant tibi quique ſuas.

Xaverio zelo, Lojolæ par es amore,
 Angelico Juveni moribus innocuis.

At placet imprimis tua munificentia nobis;
 Hac ego Reliquias accipiendo fruar.

De celebri Poefi Germanica Michaelis Denis.

Quod fit ab egregio digne cantatus Homero,
 Felicem Macedo Rex vocat Æacidem.

Æacidi Auſtriacus JOSEPH nil invidet, ut quem
 Deniſius digna fert ſuper aſtra chely.

Duplex S. Petri clavis.

Biſgemina Petrus donatur clave: perenne
 Altera pandit Ave, claudit at altera va.

*In diem Onomasticum Joſephi Zanchi Collegii
 Vienneniſis id temporis Reſtoris, hodie C.
 E. Goricieniſis Canonici.*

Oſcula quot dederat Joſeph, tuleratque viciffim
 A JESU, tibi ſint tot ſine nube dies.

Conſpexit quoties JESUM, viſusque viciffim eſt,
 Gratia te toties viſat ab arce poli.

Suſtulit in gremium quoties Joſephus JESUM,
 Velatum toties corde reconde DEUM.

Quid

Quid precer ulterius? cœlum? sed cœlica vita est,
 Quam modo poscebam: vis tamen illud? habe.

*Rudolphi I. Ducis Austriae, postea Cæsaris, in
 Numen Eucharisticum, cum a Sacerdote ad
 ægrotum deferretur, pietas.*

Vectus equo vidit Numen Rudolphus in agris,
 Moxque suum donat, quo veheretur, equum.
 Cum Dominum Rudolphus equum conscendere jussit,
 A Domino solum scandere jussus erat.
 Deturbavit equus Svatoplugum divite Regno;
 Rudolpho Regnum conciliavit equus.

*Virgo pastoricia desertam B. V. aram ornat,
 ac mox in Cœlum recipitur.*

Tene ego desertam videam, Regina polorum?
 Munera nec ruris qualiacunque feram?
 Lanigeram pecudem tanto sudore fovemus,
 Qui foveat Matrem, nemo repertus erat.
 Te propter nemus hoc sua Flora sedilia fecit,
 Usque monens dominas cingere flore comas.
 Gesto sinu, calathisque fero violasque, rosasque;
 Mater ad hæc: Flos es pulcrior ipsa; Veni.

*B. Virgo Corona, & Sceptro instructa tenet
dextra Filium in imagine.*

Sceptra, Corona ornant Matrem, dum gestat JESUM;
Regnare est solum quippe tenere DEUM.

Statua B. V. tenentis una manu Filium.

Qui portas orbis molem, te sustinet una
Virgo manu: o quantum viribus illa valet!
Nempe sed ipsa etiam portatur ab omniferente:
Fert volucris pennam, pennaque fert volucrem.
Cumque levet coelum palmo, terramque pugillo,
Bajulet ut Matris, brachia firmat, onus. A)
Pondere virtutum gravis est; atque ut DEUS illam,
Illa pari superat condita quæque modo.

S. Paulus decollatus lac fundit.

Cur tibi, Paule, fluit pro sanguine lacteus humor?
Non hic vindictam, clamat at ille liquor.

*JOSEPHUS II. Imp silvam, Pratter dictam, Civi-
bus in locum recreationis donat An. 1766.*

Est nemus & tiliis, & frondibus ilicis atrum
Haud procul a muris, Magna Vienna, tuis.

Hic

A) Fecit potentiam in brachio suo. *Luc. 1.*

Hic trepidos cærvos jaculis feriebat JOSEPH,
 Archiducis donec munere functus erat.
 Imperii postquam solium conscendit, abite
 Cervi, ait; hæc populo pascua sunt meo.
 Hic mihi dilecti venabor corda popelli,
 Venandumque sibi cor ego trado meum.

Ejusdem responsum ad quemdam.

Respondit Cæsar quærenti: *Marsne resurget?*
 Dicam aliquid, verum si tacuisse potes.
 Ille suam jurare fidem, se nosse tacere;
 Cæsar ad hæc: novi, crede, tacere & ego.
 O quam festive, quam caute, & dixit acute!
 Hoc tibi pro jaculis, Cæsar, acumen erit.

*M. THERESIA Augusta lege lata exesse Vienna
 jussit Indifferentistas, sive Deistas.*

Urbe Viennensi Regina THERESA *Deistam*
 Trans Garamanteas jussit abire plagas.
 Dum fidei defert suffragia cuique *Deista*,
Pluralem numerum credit habere fidem.
 Ne juvenes igitur male *declinare* doceret,
 Trans Garamanteas debuit ire plagas.

*Eadem cuidam pretiosum librum de nummis
veterum donum dedit.*

Quæ veros aliis, tibi Magna THERESIA pictos
Transmisit nummos gratificante manu.

Nil tamen his potuere manus pretiosius usquam
Vel cepisse tuæ, vel tribuisse suæ.

Tempora cum causis ex hisce docebere nummis,
Ingeniique tui multiplicabis opes,
Scilicet ut sibi potior sapientia nummis
Semper erat, nummis sic tibi plura dedit.

*Ad Franciscum Seraphicum Novædum, sive Uj-
házi, cum domos Tirnavienses ex decreto
Regio dimetiretur.*

Tirnaviam totam metiris fune, Novæde:
Seraphicos vita; gens ea fune ferit.

S. Ignatius arma secularia aræ B. V. appendit.

Virginis aris Ignatius arma relinquit;
Sed nova, queis orbem, & se petat, arma petit.
Ut referat de se generoso Marte trophæum,
Debit hostili se quaterere ipse manu.
Imperiis Christi totum queis subjuget orbem,
In Manresanis accipit arma jugis. A)

Vin-

A) Exercitia spiritualia, a Sede Apostolica subinde approbata

Vincere se gravior fuerat labor, ac fuit orbem;
Hunc verbis, semet verberibus domuit.

S. Joannes Nepom. invisens ad Divam Boleslaviensem, redux in Moldavam noctu præceptus actus, Civibus manifestatur caelesti quodam lumine.

Ad tua prociduus gemo genua, sacrata Virago,
Rebus in ambiguis portus & ara meis.
Sacriligus noxas Reginae nosse tyrannus
Expetit, ac linguæ rumpere vincla jubet.
Ni facio, mutum ceu piscem flumine mergi
Imperat; o dubio sis Cynosura vado!
Flumine mergeris, Nepomuce, MARIA reponit,
Verbaque pro mutuo sidera pisce dabunt.

S. Francisco Xaverio Liliam & B. Virginis, & JESULI manu prehensum in imagine offertur.

Lilia Virginei damus ambo insigne pudoris:
Corporis alma Parens dat tibi, mentis ego.
Alteruter poterat, quod habet, concedere utrumque,
Parte tamen, cum sis charus utrique, damus.
Quin dat uterque utrumque: Parentis res, mea; rursus
Res mea, res Matris, Lilia simpla docent.

Accipe tam pulcrum, Xavier pulcherrime, munus,
Nix formam vitæ denotat ista tuæ.

Imago, in qua sequentia repræsentantur.

Ligna secat Joseph, converrit segmina JESUS,
Angelus adjutat, Virgo MARIA coquit.

Convivam nullum video; quia nemo laborat:
Vis convivari? fac opereris idem.

Ad Georgium Poctam.

Legi, perlegi tua carmina, care Georgi;
Judicium nostrum si petis, accipito.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura;
Haud melius quisquam carmina composuit.

Judicium Vatis de Historia Ungariæ Diplomatica
Cl. Stephani Kaprinai, Regii Historiographi.

Historicum verum discernunt symbola terna:
Erudit, oblectat, denique vera refert.

Historicos mundo quam multos secla dedere,
Tam videas raros hisce nitere notis.

Felix Kaprinai! sua quem Diplomata dictis
Dotibus instructum satque superque probant.

Hoc sentit, quisquis livoris creditur expers,
Hoc est judicium, Lipsia docta, tuum.

*In ejusdem Natalem, qui fuit dies S. Claræ
Ann. 1714.*

Alla dies hæc est, quæ lucem protulit orbi:
O mihi solennes inter habenda dies!
De tenebris profers in claram plurima lucem;
Luce sacra Claræ scilicet ortus eras.
Si multos similes tibi Patria nostra tulisset,
Vos stellæ, cœlum Patria nostra foret.

Ad Battum nimis obesum.

Batte, vales nimium, fers ægre corpus obesum;
Visne valere magis, Batte? valet minus.

Ad floridum Epigrammatum scriptorem.

Florida qui nimium scribunt Epigrammata, nullum
Ferre solent fructum, vixque nitore placent.
Cum sterili semper florens prope congruit arbor:
Excidi, inque focum debet, ut illa, jaci.

*Cl. Ludovici Csapodi Liber de Religione, in quo
contra Deistas, sive Indifferentistas, strenue
depugnat.*

Vincere, vel vinci si turba Deistica vellet,
Nive vacillanti crederet omne fide;

Hanc equidem Csapodi modo structis sterneret armis ;
 Tam nihil his vidit fortius ulla dies.
 At superest, quidvis ne *turba Deistica* credat ;
 Imo suis armis istud agit Csapodi.

*Ad Ignatium Planck de Oweni Epigrammatis
 Catholicis, sive perpurgatis.*

Oweni donum mihi das Epigrammata, Plance,
 Nulla queis quisquam nobiliora daret.
 Hæc adeo Oweni superant Epigrammata vires ;
 Scribere tam castum nesciit auctor opus.
 Auctoris Venerem deterfit dextra pudica ;
 Debuerat vitam scribere nolle suam.

Cur Lutherus jejunium suis abrogarit?

Hæreseos nuper nata est tibi filia, Luther,
 Estque tenella, inquis, crescere debet; edat.

*Petri Pázmáni Archi-Episcopi Strig. & S. R. E.
 Cardinalis pileus quadratus Tirnaviæ asservari
 solitus.*

Pileus hic, fateor, Domini caput arguit ingens;
 Scire suum nequirit sed retinere caput.
 Diluvium caput hoc per Pannonis arva profudit,
 Hæreseonque suis monstra necavit aquis.

*S. Franciscus Salesus Episcopus Rosarii B. V.
recitationem in crastinum differre abnuit.*

Cum vigilavisset seras Franciscus in horas,
Debita Parthenidi solvere pensa parat.
Lassus ut ab somno recreetur, suadet amicus:
Debita cras, inquit, solvere pensa potes.
Quæ possis hodie, non in cras differ, amice,
Præsul ait; non est crastina certa dies.
Cras cras atrorum corvorum verba putavit:
Non crocitat *cras cras* at Marianus Olor.

*Impium Calviniani facinus in B. Virginem ad
Tibiscum Anno 1672.*

Sacrilegum genitus Calvino stringere ferrum
Miles in effigiem Virginis ausus erat.
Sensit imago ictum: fluxit de vulnere sanguis,
Tinctaque crudelis sanguine dextra fuit.
Huic Nero collatus cessat crudelis haberi,
Imo pius, matrem quando peremit, erat.

*S. Aloysio e sinu B. V. JESULUS Lilium offert
in sacello Viennensi.*

Angelicos flores, Aloysi, Lilia promptus,
Ut quod es, id clare conspiciare, cape.

Angelus es, tantoque magis mirabilis, alis
 Quod careas quamvis, attamen Angelus es.
 Has natura negat; sed virtus te facit inter
 Aligeros volucrem pervolitare choros.
 Ala caro, mens ala tibi, nil fordis olentes:
 Astra petes harum non ruiturus ope.

*Imago Viennensis, ubi S. Josephi meritori
 Christus venam explorat, B. Virgo
 plorat.*

Venerat ad vitæ Joseph confinia: JESUS
 Signa necis vena deficiente notat.
 Ora madet mœstis non cognita Sponsa fluentis;
 Tam doluit raptum cognita nulla virum.
 Namque adeo florem non abstulit ille pudoris,
 Hostibus ut cunctas seferit usque vias.
 Flete aliæ raptos cum virginitate maritos;
 Fidum custodem Virgo MARIA fleat.

*In S. Stanislai Kostkæ, Viennæ ægrotantis, si-
 num offert JESULUM B. Virgo.*

Suscipe, Kostka, meum Pignus tantisper in ulnas,
 Ejus ab amplexu quamlibet ægra vacem.
 Scilicet hoc in me meruit tuus ardor amoris;
 Hoc in te nostri pignus amoris habe.

Nil moror: amplexu stringe; amplexabimur ambo:

Altera ego es mihi tu, sumque tibi alter ego.

Ni mortalis eras, jam tempus in omne dedissem;

Ne sis, efficiam per pia fata brevi.

Idem per epistolam mortem exorat a B. V.

Monstra te, Mater, votorum summa meorum est!

Nil mihi rescribas, attamen ire jube.

Non precor, ut vivam, vitam mage deprecor istam;

Te sine mors nimium vivere dira mihi est!

Vita mea, o Mater mea! te volo, te flagro, te da,

Te videam! scriptum nolo videre tuum.

JOSEPHI II. cum cursore, a quo Romam ve-
hebatur An. 1770. colloquium.

Vectorem Cæsar (se dissimulando) rogabat:

Frugi JOSEPHUS Cæsar an esset homo?

Ille virum valde pretiosum prædicat esse:

Fallere, Cæsar ait, pessimus ipseus homo est.

Hic fremere, ac famam vector testarier orbis:

Falleris, & fallis, vir bone, Cæsar ait.

Quin obmutescas, aut te de curribus istis

Pronum (vector ait) quisquis es, excutiam.

O error felix! quo dum pro Cæsare Cæsar

Excutitur, nimium Cæsar amatus erat.

*Aliud cum caupone in eodem itinere
colloquium.*

Unde bonum juvenem te (caupo dixit) habemus,
 Quove tenes patria de regione viam?
 Tendere se Romam JOSEPHUS ab Æde reponit,
 Nomine quam signat Magna THERESA suo. A)
 Nec mora: depromit caupo documenta, monetque,
 Moribus ex Italis qua regat arte suos.
 Cæsar ut abcessit, rem caupo doctus, atroci
 In furias versus pene dolore fuit.
 Quam tibi subtracto, Cæsar, doleamus honore,
 Aspicias: en furias suscitavit ille dolor.

*Ejusdem Romæ ad limina Apostolorum
pietas.*

Basia sacris pedibus Paulique Petrique
 Cæsar prociduis figere quando parat;
 Pulvillum genibus famuli substernere certant:
 Sed prohibet Cæsar, poplite nixus humi.
 Admovisse fuit pulvillum Cæsare dignum;
 Rejecisse fuit dignius Austriade.

Collo-

A) Ex Collegio Theresiano Viennensi.

*Colloquium Augustæ cum milite excubias agente
in Schönbrun.*

Atria lustrabat Regina THERESIA; miles

Pervigil hac sclopum prætereunte levat.

Hem! vetulam quamvis, inquit, tu miles honoras;

Nequaquam mos est is mihi, miles ait.

Ergone me nosti? Regina THERESIA subdit:

Ex pennis aquilam noscimus, ille refert.

Aureolos miles duodenos accipit, atque

Notior ex dextra facta THERESA bis est.

Elegans JESULI effigies cerea.

JESULE, belle puer, paschali pulchrior ovo,

Me tua forma rapit; ne rapiare, cave.

Franciscus Suarez monito sui Rectoris imaginem

B. V. supplex adit, & repente ex hebetè

eximie doctus evadit.

Nactus eram cerebrum divinæ Palladis expers,

Nec tenero nutrix Calliopea fuit.

Sæpe quidem Aonium tentabam scandere collem;

Pulsus at adverso Numine sæpe fui.

Quo, Præses, dixi, quo spes, quo carbasæ vertam?

Ille DEI Matris poscere jussit opem.

Obsequor, ac fer opem, Mater! vix profero voce,
 Ingenii tenebras discatit illa mei.
 Nempe fuit pars hæc tenebrarum summa mearum,
 Nescisse has tenebras sic posuisse prius.

S. Josephi virga efflorescit.

Flores Josephi progerminat arida virga,
 Arida cui Fructum Sponsa datura fuit.

*JESULUS a Matre pomum petere in imagine
 repræsentatur.*

Poma petit ridens pomaria JESULUS inter:
 Spes ridere facit, poscere dura fames.
 Diva Parens digitis decerpit ab arbore foetum,
 Denteque præmansum Prolis in ora refert.
 Et quamvis sapidum malum gustarit uterque,
 Hoc tamen ex malo nescit uterque malum.
Christus Adam novus, *Eva Parens* est: mala docere
 Hos bona sola queunt, nam mala non capiunt.

*SS. Joachim, & Anna supra tenellam Mariam,
 Columbam advolare erecta cervice contemplantur
 in imagine Viennensi.*

Viderat ex astris Joachim exire Columbam,
 Et recta Natam versus adire suam.


Indicat hanc Annæ: cervicem attollit uterque;
 Mirantur, quare candida currat Avis.
 Anna timet, ne fors Natam raptura veniret;
 Joachim, placida est, ludere tendit, ait.
 Apposite neuter: quia nidum ponere in illa
 Advolat, ut similem mox sibi formet Avem. A)

Unde fures?

Invito Domino pomum decerpserat Eva:
 Edocuit natos furta patrare parens.

*Ad Placum de Caroli Scherffer Philosophia
 editionis secundæ.*

Scherfferi partum pervolvi, Plance, secundum;
 Hic melior multo est, quam prior ille fuit.
 Pene suum partum vult ipse negare priorem: B)
 Tertius edatur, fiet adhuc melior.
 Quos juvenis generat caro partus, sunt meliores;
 Ingenii partus ferior est melior.



Poe-

A) Christum Dominum de Spiritu S. concipiendum.
 B) In Præfatione.

*Poeta, ut ut mendax, verum dicit euidam
Historico.*

Sis licet Historicus, passim mendacia scribis:
Vera tibi, mendax sim licet ipse, loquor.

*Ad Carolum Walter de Joannis Premlechner
carminibus Viennæ editis Anno 1771.*

Pincipibus, Walter, posses æquare Poetis
Vatem Premlechner; tam bona metra canit.
Ast quia vel quandoque bonus dormitat Homerus,
Et bona depromit carmina mixta malis;
Hic quoniam nusquam dormitat, nec mala miscet,
Principibus major, quis? nisi Phœbus is est.

De iisdem carminibus ad Ignatium Wödl.

Aurea largiris raro pro munere Vatis,
Wödl, Premlechneri carmina structa recens.
Ah Premlechneri possem tibi solvere grates
Ore, quod Aonio lacte favoque fluit!
Te Mœcenatum fidus super athera ferrem,
Atque atavis canerem Regibus esse satum.
Doctus ab illius modulabor talia Musis;
Accipe nunc, quidquid rauca cicada cano.

In diem Onomasticum Bernardi Kalini.

Pannonius sanguis, Bernarde Kaline, MARIE
 Delicium, patriæ gloria, noster amor.
 Ut Pannon *Magnam Dominam* vocitare MARIAM,
 Bernardus dulci nomine *Matris* amas.
 Ut Pannon donis *Dominæ* dicaris abunde,
 Bernardus *Matris* pascaris uberibus.
 I bone, nec pudeat grandævum sugere mammam;
 Hanc siquidem ad *Matrem* pupulus es minimus.

In Dindymum scurram.

Dindyme ni tectis vis rebus vilior esse,
 Quod natura regit, tu quoque voce tege.

*In iter Francisci Lethmayr hebdomada Majore
 Anno 1771.*

Ergo Vale mœstæ dicis, Francisce, Viennæ,
 Et Judenburgum non rediturus abis?
 Ipsa tuum sub itum mœrent penetralia Divum,
 Nec species aris, quæ fuit ante, manet.
 Rex Superum mœret, faciem velamine tectus; ▲)
 Quocunque aspicias, omnia mœror habet.
 Omnia dum mœrent, tu rides ore sereno,
 Præsidis imperium latus ad omne; Vir es!

Anto-

▲) Nigro, ut mos, velo.

Antonius L. B. Andrásy Congregationi B. V. minori Budensi Labarum curavit fieri Ann. 1771. tunc scholasticus S. J. nunc C. E. Rosnaviensis Canonicus, & Præpositus Major.

Antoni, Labaro Domini dignare Parentem,
 Argenti, ac byffi divitiis gravido.
 Nempe cui castum pridem cor ante dicasti,
 Quod superabat, opes vendicat Illa tuas.
 Jam si pro gelido sua merces penditur haustu, ^{A)}
 Præmia pro tanto quanta favore feres?
 Signifero Michaele, choris stipata MARIA
 Angelicis, manes ducet in astra tuos.

*In primum Nævi capillitium, vulgo
 parocam.*

Tu quam naturam, plus artem dilige, Nævi;
 Illa noverca ferox, hæc tibi fida parens.
 Quas natura dedit, rapuit, raptasque tenebit:
 Ars dedit, atque alias datque dabitque comas.

Patrona Ungariæ B. V.

Ungarici Regni *Domina* est, *Patronaque* Virgo:
 Exulta titulis, Patria Terra, tuis!

Non

^{A)} *Matth. 10.*

Non tibi terrestrem paradisum gens inimica
 Invidet, hunc quamvis invidet illa quoque;
 Sed te tam magna *Domina* gaudere *Patrona*
 Rîngitur, ipsius sæpe retusa manu.
 Sanguineas lacrimas, Superos flexura, profudit
 Diva Parens causa, ne premerere, tua.
 Donec amas *Dominam*, pro te vel lacrima vincet;
 Ast ubi torpueris, tu tuus hostis eris.

*Imago B. Virginis lacrimantis posita supra
 lavatorium poculorum.*

Mundantur quo vitra loco, mœstissima Mater
 Adstat, & in lacrimas ora soluta madet.
 Quid pia, quid lacrimis exundas? nonne, quod ille
 Gaudia de cyathis non moderata bibit?
 Sic est: immodice mulcent quæ gaudia carnem,
 Hæc sunt mœstitiæ causa caputque tuæ.

JESULUS in sinu V. Matris dormit.

Infusus Matris gremio quo tempore JESUS
 Mille dedit Matri basia, mille tulit.
 Ecce sacros vinclis tacitis sopor illigat artus,
 Et velut exanimes, seminecesque facit.
 Somne, necis frater, tantos quid surgis in ausus?
 Auctorem vitæ tune ligare potes?

Nunc fure; tempus erit, quando cum morte forore
 Vincla geres manibus, queis modo vincla dabas.
 Iste puer mortem moriendo destruet olim, A)
 Non dormiturus, nec moriturus abhinc. B)

In Cottam formosum.

Cotta, cutem scindas, sanies fluet inde, videbis;
 Non es tu puleher, sed tua, Cotta, cutis.

*De Oda polymetra A. R. D. Augustini Puppik-
 hoffer, in Regia Universitate Tirnaviensi
 Rhetoricæ Professoris.*

Per polymetra equidem polydoxus es, Augustine,
 Redditus, & ter tres vincis ab arte deas.
 Bis senis tua metra modis sunt condita: plures
 Tu gremio Musas, quam sacra Pimpla, tenes.

*De ejusdem Oda Latina, ad numeros Pindaricos
 constructa.*

Dircaum, nec non Venusinum indutus Olores,
 Invidia major tollis in alta caput.
 Per digitos, humerosque tuos albescere plumas
 Cernis, & ignavam despicias ales humum.

Æquor

A) Mortem nostram moriendo destruxit. *Ecclesia.*

B) Mors illi non dominabitur ultra. *Rom. 6.*

Æquor hyperboreum vives, fyrtesque Lybiffas;
 Te Colchus, Rhodani potor, Iberque scient.
 Flebilis occumbes nulli: lamenta faceffant,
 Neu feriant queruli funus inane soni.
 Major eras fato, Cygnum mutatus in unum;
 Nunc gemini cogent bis superesse Cygni.

Reverentiæ, ut vocant, fæminarum.

Flectit utrumque genu mulier, vir flectit at unum:
 Pronior ad lapsum fœmina semper erat.

*In diem Onomasticum Michaelis Huber, musicæ
 periti.*

Si quid delicias sapit polares,
 Hoc est Musica suaviter canora,
 Cujus lene fluens sonus per aures
 Cor dulci facit æstuaræ sensu.
 Tollas Angelicas tubas, fidesque,
 Cœlestis lacrimabitur voluptas.
 In vitæ ille libro notatus haud est,
 Cujus Musica cor movere nescit.
 At vero sacra turba Musicorum
 Cœtus Angelicos sedebit inter.
 Huber, tu Michaeli eris propinquus,
 Ipsum cum superes canendo Phœbum.

*In diem Onomasticum Michaelis Reggio, Professoris Controversiarum Fidei id temporis
Viennæ.*

Cum styge perpetuum bellum geris, hæreticisque,
Nataque tartareo monstra parente necas.
Septicipem plantis Lutheri proteris hydram,
Calvini perimis, Jansenique luem.
Tartareum Michael contriverat ipse draconem,
Per te tartareum vult genimen cadere.
Ille stygem cœlo, tu terra pellis in orcum:
Regnat is in cœlo, Reggio regnat humi.

*De tribus primis Theologiam universam propu-
gnantibus, quorum primus Lupus, alter Fa-
ber, tertius Sutor patrio idiomate com-
pellantur.*

Dente *Lupus*, ferro *Faber*, armat *Sutor* acu se;
Væ quisquis tribus his bella movere parat!

Miracula apud hæreticos nulla.

Inter Catholicos miracula sæpe patrantur;
Hæreticos inter nulla patrata scio.
Hæreticus factis sine miris credit averno;
Catholicus factis verba probata probat.

*In diem Onomasticum Ignatii Wödl, Bibliothecæ
Collegii Viennensis tunc Curatoris.*

Quantumvis numeret tua Bibliotheca libellos
Innumeros, doctos non facit illa viros.

Quid facit ergo, rogas? juga Manresana, repono:
Huc igitur propera, Wödl, rapiare fuga.

Hic prope Divinum scripsit Lojola libellum, A)
Grammatices doctus vix elementa quidem.

Scilicet ampla fuit sibi Bibliotheca MARIA:
Felix, quem talis Bibliotheca docet!

*S. Franciscus Xav. Corollam precatoriam B. V.
collo suspensam inter hæreticos in itinere gesta-
bat, eaque subinde in Indiis miracula
operabatur.*

Pendentem Xavier gessit cervice corollam
Virginæ Matris, cum peregrinus erat.

Virgineum sese confessus ubique clientem;
Hisque fero globulis tutus in hoste fuit.

De collo posthac in cingula transtulit illam,
Virgineo cinctus miles ut ense foret.

Reddidit hic vitam multis, non abstulit ensis:
O quam pacifici miles & ensis erant!

A) Exercitiorum Spiritualium.

Ad Pollum Poetam, inter fulmina tutum.

Hostia, Polle, Jovi caderes ne fulmine nuper,
Defendere tuum Laurea ferta caput.

Imago Angeli B. Virginem salutantis.

Angelus advenit, nec abit, tibi, Virgo, sed adstat
Perpetuo, miro captus amore tui.
Angele, quin properas Superis audita referre?
Alas flamma mihi solvit amoris, ait.

Juvenes juvandi.

Sunt derivati *juvenes* a voce *juvari*;
Prudentes non sunt, utque juventur, egent.

*Ad Cl. Matthæum Eisenbeidl, Linguae Græcæ
Professorem, cum Anno 1772. Facultatis Philo-
sophicæ Decanus esset creatus.*

Doctorem Græcum sortita Sophia Decanum
Plaudit, ab externo libera facta jugo.
Græcorum sobolem se Philosophia fatetur:
Græcus Aristoteles, & Plato Græcus erat.
Externis demum servire coacta tyrannis,
Ad Dominum, ceu nunc Ungara terra, redit. A)

Puer

A) Hoc eodem Anno Oppida XIII. a Polonis ad Ungaros rediere.

*Puer quidam a Kéméndinensi Thaumaturga
febres refert.*

Prodiis claret prope Kéménd Matris imago :

Nex est morborum , vitaque certa necis.

Hanc ego dum tueor peregrinis advena terris ,

Corripior subita languida membra febri.

Sic , ubi parva salus aliis , ego contraho febrem :

Illam Mariani febris amoris erat.

*S. Ignatius numisma B. V. diu ab se in pectore
gestatum , donat alteri.*

Virginis intactæ flammis Ignatius arsit,

Quæque illas foveat , pectore imago fuit.

Ast ubi in immensum creverunt , non tulit ; ergo

Pectore gaudenti frigidore dedit.

Responso felix Alleluja apprecanti Amico.

Legi sincero depromptum pectore votum ,

Et pariter votum , corque voventis amo.

Quæ mihi cunque voves , eadem tibi reddo vicissim ;

Nec tamen idcirco nil mihi servo tui.

Præcipuam de te partem servo , tuique

In me durabit non moriturus amor.

*In præmaturum obitum Mariæ Theresiæ, unicæ
filiolæ JOSEPHI II. An. 1770.*

Flos subito cecidit tua Nata Theresia, Cæsar,
Divitiæ patris deliciæque sui.

Dimidij Regni jactura dolenda fuisset,
Judice te, Natæ præcoce morte minus.

Nec tibi judicium patrius deluserat ardor:
Dotibus illa suis tam pretiosa fuit.

Flore pudicitæ sed quamquam digna perenni,
Te subitura torum præcipiente fuit.

Obstitit ætherei Patris sententia; quoque
Digna fuit, fruitur flore pudicitia.

*Parens tamen ejusdem Augusta ex ægitudine
summe periculosa Anno 1767. evasit incolumis.*

In Matrem, JOSEPHE, tuam Libitina sagittas
Strinxerat atratas, certa patrare nefas.

At simul aspexit Matris te sorte dolore

Usque adeo, ut cuperes ejus obire vice.

Vivat, & extentos, dixit, sit sospes in annos;

Me quoque mansuetam cogit hic esse dolor.



*JOSEPHI II. interrogatio in vili quodam
diversorio Ungarico.*

Quid dictura Vienna foret? JOSEPHE, rogasti,
Tam vilem si te cernat inisse casam.

Diceret: in stabulo cum JESU degit JOSEPH,
Exclusus quovis commodiore loco.

Diceret: es tanto Princeps augustior, ædem
Quanto pejorem plebis amore colis.

*Ad eundem Polonicorum Legatorum accessus
Anno 1772.*

Bella juvent alium; pacis per foedera, Cæsar,
Augeat imperium Lechica terra tuum.

Ferreus afflixit Mars Lechum tempore longo,
Nec modus est visus, nec medicina mali.

Ad JOSEPH tandem Legati, dixit, *eatis*,
Austriacumque mihi suave referte jugum.

Ah valeat, quisquis sine pugna vincere nescit;
Pugna tibi pax est, Cæsar, & ensis amor.

*M. THERESIA Augusta Convictus Nobilium
Regio-Archi-Episcopalis Tirnaviensis horreum,
suburbanamque domum, incendio hausta, regis
impensis reparari jussit An. 1772.*

Flamma suburbanos Juvenum, Cærerisque penates
Hausit, & e tectis fecit iniqua focum.

Casibus ingemuit subitis afflicta Juventus,
 Matris & Augustæ prona poposcit opem.
 Moverunt lacrimæ juveniles viscera Matris,
 Nec mora: restitui jussit utrumque larem.
 Matribus Augustam, Juvenes, præponite vestris;
 Quod matres nollent, Illa peregit opus.

*Felix novi Anni auspicium Præfettis ejusdem
 Convictus.*

Certus eram Jani dare vobis vota Kalendis
 Ipse; sed extorsit clauda Thalia vicem.
 Ne, precor, exclusam patiamini, clauda licet sit;
 Hæc siquidem vobis mystica vota tulit.
 Præteriti sortem pede claudio denotat Anni;
 Per geminas flammæ ille nefastus erat.
 Præsentem faustum recto pede denotat Annum.
 Credite; nam non est, ut pede, clauda fide.

In Zoilum.

Zoile, livescis, quoties mea carmina cernis,
 Sexcentisque studes vituperare modis.
 Nescieram, mihi crede, bonos me scribere versus,
 Nunc scio: nemo malis invidus esse potest.



EPIGRAMMATUM
MISCELLANEORUM

LIBER SECUNDUS.

D. Thaumaturga in Tirnaviensi Cathedrali Ecclesia lacrimata in turbis Rakoczianis, & lue pestifera Anno 1708. 5. Julii, item 10. & 11. Augusti.

Marte per Ungariam late, cum peste, furente,
Cum cumularentur funera funeribus;
Tirnaviæ lacrimis maduit pia Virgo profusis,
Ungariæ Gentis commiserata vices.
Ungariæ incassum lugebant pignora matres;
At lacrimis Mater profuit ista suis.
Vidit ut has Mavors cum peste sorore, migremus,
Ne lacrimis Mater conficiatur, ait.
Ungariam pax alta tenet post bella, luemque,
Matris & est nimbos suda secuta dies.

Aulici MARIÆ veteres Ungari dicti.

Quondam Pannonæ *Aulici MARIÆ*
Ob famam pietatis audiebant.

At nunc hæretici colunt frequentes
 Regnum Pannoniæ: *MARIÆ* in aula
 Sunt, non sunt tamen *Aulici MARIÆ*.

*Iidem gladio appendebant Corollam B. V.
 precatoriam.*

Jungebat globulos Marianos Ungarus ensi;
 Certius ut globulis hostis & ense cadat.

*Iidem ex equo exiliebant audito MARIÆ
 nomine.*

Audiit ut quondam nomen sonuisse *MARIÆ*
 Ungarus, excenso, est poplite nixus, equo.
 Quoque suam *Dominam* coluit submissius, astris
 Hoc caput intulerat celsius ille suum.
 Ungare, flecte genu veteri pro more *MARIÆ*,
 Altior incendes tergora rursus equi.

*In diem Onomasticum Antonii Ebenau, Cateche-
 tæ Viennensis, in Indias parantis.*

Martyrii flagrans Antonius Indica regna
 Dum petit, adversis pellitur inde Notis.
 Ergo gregi Christi totum se sacrat alendo
 Ore, quod ætherio nectare dives erat.

In lica ne doleas, Ebenau, nunc ostia claudi;
 Melle tuo tenerum pascere perge gregem.
 Totus quippe mel es, totus favus; id tamen unum,
 Torus ut a pueris ne comedare, cave.

*De subito inter concionandum obitu Ignatii
 Seppenburg Anno 1771. Judenburgi.*

Fulmine Seppenburg apoplexeos occidit ictus,
 In sibi commissi cum tonat acta gregis.
 Dentibus æratis cinctos invenimus artus,
 Visaque sunt rigidis livida terga flagris.
 Hoc habuit sane majorem nullus amorem,
 Fulmine qui periit tactus amore gregis.
 Hoc citius nemo cœli conscendit in arcem,
 Calcari & flagris qui stimulatit equum.

DEUS incomprehensibilis.

Esse DEI nemo cepit, capietve, capiteve:
 O bene! quod nostras non capiamus opes.

Ad Neo-Mystam Antonium Manczini.

Angelicis humeris munus trepidale digne
 Suscipis, & pergis sacrificare DEO.
 Manczini, manibus digne amplexabere JESUM,
 Digna dabis labiis oscula, corde larem.

Cum

Cum Tirnaviam Anno 1773. inviseret R. P. Nicolaus Muszka, tunc Præpositus Provincialis Austriacæ Provinciæ S. J. nunc Canonicus, & Præpositus Major C. E. Neosoliensis.

Mœcenas Vatum doctorum maxime, salve;
Salve Pierii vita decusque chori.

Infera Pierides si jam spelæa subissent,
Inde reportarent te moderante gradum.

Usque adeo redeant quo tempora prisca Poetis,
Nil intentatum, Præses, abire sinis.

Hos studiis pallere jubes, hos edere versus,
Ære juvas illos, hos super astra levas.

Nunc quoque cur nostram visas tam sedulus urbem,
Causa tibi doctæ prima fuere scholæ.

Ædificent alii præcella Palatia Musis;
Tu vitam Musis, ut facis, adde suam.

Imago B. V. in facie horologii.

Has inter Virgo constanter confidet horas;
Ipfius ut quavis dicat amator: AVE.

In diem Onomasticum Petri Itali.

Italiæ Princeps Petrus: tu Principis hujus
Natus in Italia nomen, & omen habes.

Di faciant, simili vitam quoque sine coronas,
Ostendantque pedes, quo sit eundum animæ. A)

Laus nimia ad quemdam.

Te quereris nimium celebratum a Vate fuisse;
Culpa tua est, nimium cur celebranda facis? B)

*Lutherani dicti Evangelici ab Evangelio per
eos everso.*

Vos *Evangelicos* vocatis? estis
Et me iudice jure sic vocandi.
At nolite nimis placere vobis;
Est & Scipio dictus *Africanus*
A Chartagine diruta superbe.

Nativitas B. V.

Anna diu sterilis, longævaque anicula Natam
Emeruit precibus progenuisse suam.
Quam DEUS evictus precibus donaverat Annæ,
Divinam sobolem dicere jure potes.

Præ-

-
- A) S. Petrus inversis cælum versus pedibus cruci affixus erat.
B) Ceterum si quis forte re ipsa supra meritum laudatus videatur, ne id vitio Poetæ detur; nam Vatis ista licent, quibus fere credi non solet, nisi de rei veritate constet aliunde.

Præsentatio ejusdem in Templo.

Sistitur ante DEUM Jessæ e stirpe Puella,
 Ætherio ut Sponso se sociare queat.
 Trimula sit quamvis, cœlesti jam tamen aptam
 Connubio virtus prodigiosa facit.
 Virginitas aliis nubendo perditur; Isti
 Nubendo crescit virginitatis honos.

Hæretici Amariophili.

Hæretici Divam renuunt celebrare MARIAM,
 Irati, fatanæ quod terat illa caput.

In quemdam, dictum Autumnum.

Jam vicibus ternis tecum prodire parabam,
 Autumnæ, infestis imbribus usque satur.
 Nubila sed toties, cœnosaque tempora præstas:
 Heu quanto es cœno turpior ipse tuo!
 Ergo vel Autumnum male sudum ponito; tecum,
 Ver vel in Autumnno quando erit, ibo foras.

S. Joannes Nepomucenus submersus.

Ira feri Regis Nepomucum flumine merisit;
 Quod sancte mutus piscis adinstar erat.

*In Hymenæum Ferdinandi Archiducis Austriae**Anno 1771.*

Austriacum populus Mutinensis suscipit Astrum,
 Allectum tædis, caste Hymenæe, tuis.
 In Ferdinando Materna, Paternaque virtus
 Emicat, ac Proavum viva figura nitet.
 Atque utinam summis virtutibus æqua theatra
 Ferdinandeis dote dares, Mutina!
 Ipse tuas terras cumulata luce beabit,
 Quæ satis Imperiis ampla futura fuit.
 Nec tibi lucebit soli, sed & ille Monarchas
 Instruet exemplis sceptrâ rotare suis.
 Sponteque delatas Regnorum sumet habenas;
 Præmia virtuti si modo dant Superi.

*Dux Corsus Pauli, victus a Gallis, in Angliam
 fugit An. 1769.*

Omnia si perdas, famam servare memento,
 Dicebat Pauli sæpius ipse sibi.
 Verum umbræ similem quoniam bene norat honorem,
 Fit profugus; sequitur gloria summa Virum.

Oidium pecuniarum in S. Felice, ex Ordine Capucinorum Lajco.

Nummorum fuerit quam Felix hostis acerbus,
 Res orbi præstat prodigiola fidem.

Sensit inexperta sibi tergum mole gravare
Emendicata facta canistra stipe.

Scrutatur peram, nummum videt, ejicit; atque
Prosequitur coeptum more volantis iter.

I nunc, felicem te, munde, pecunia reddat;
Infelix Felix redditus ecce fuit.

S. Francisci Seraphici paupertas.

Pauperies fuerat Francisco tessera vitæ;
Tessera, quam Regum nullus habere potest.

*S. Gerardi, Csanadiensis in Ungaria Præfulis
pietas in B. Virginem.*

Binos constituit fenæ Gerardus,
Aras Virginis ante qui perennem
Ignem sufficerent odore suavem.
Ignem nutriit insuper Gerardus
Casto pectoris in sinu perennem:
Tanto gratior hic fuit **MARIÆ**,
Quanto cor pretiosior lucerna est.

*S. Calasantio Scholarum Piarum Fundatori
benedicit B. V.*

Dum sociis mixtus Calasantius astra fatigat,
Constitit in medio Diva repente Parens.

Extentaque manu *benedicens* omnibus inquit:

Crescite stirps totis multiplicanda plagis.

At bene vix natam magnus draco deglutisset,

Ni caput obtrisset calce sacrata Parens.

Cresce patrocinio Matris gens fulta; colubri

Si caput obtritum est, cauda nocere nequit.

*Idem moribundus cultum B. Virginis impense
commendat suis, Corque ejus, & Lingua post
seculum incorrupta reperiuntur.*

Virgineum cultum vobis commendo supremum,
Filioli, Patrum mox initurus iter.

Virginis hæredem quemvis ex asse relinquo:

Hæc est thesaurus, divitiæque meæ.

Occupet hæc vestri cõstans penetralia cordis,

Virgineas laudes lingua perenne sonet.

Sic fatus vixit: sed verbis pondus ut addat,

Incorrupta Patris Linguaque, Corque manet.

*In imagine varia animantia B. Virginem prona
venerantur.*

Si te, Virgo, colunt animantia bruta, quid ille
Censendus, qui te non colit? ajo, satan.

*Ad A. R. ac Cl. P. Emericum Perczel e Scholis
Piis, in Universitate Regia Tirnav. Theol. Pro-
fessorem, cum An. 1775. 19. Augusti Theol.
Doctor creatus esset.*

Laura Doctorum Calasanti ex Ordine primum
Tirnaviæ insignit te, Venerande Pater.
Serta tuo capiti sunt hæc jam debita dudum,
Sed dilatus honor, major ut esset, erat.
Auspicium felix! Calasanti festa propinguant:
Occurres Divo Laureaserta gerens.

*P. Petrus Canisius, canis Austriacus ab hæreticis
dictus.*

Audit Austriacus canis esse Canisius, ut qui
Intra septa vagum compulit ire gregem.
Hæreticosque lupos mordendo, latrandoque septis
Arcuit. O talis sim, DEUS! ipse canis.

*Ad Superiorem pro nummo argenteo, in cujus
altera facie S. MARIA, in altera MARIA
THERESIA.*

Porrigis argentum MARIARUM insigne duarum:
Præsidet una Polo, præsidet una solo.
Altera Patrona est, Regina est altera Regni;
Quarum sub pennis gens bene tuta sumus.

Materia dignas, & forma duplice, grates

Reddere si tentem, non satis unus ero.

Nil pro materia, forma pro duplice summas

Reddo tibi grates: *Forma dat esse rei.*

Lex Vetus, & Nova.

Lex Vetus uxores plures, Nova porrigit unam:

O quam suave jugum, quod mala plura negat!

In Momum.

Sunt, qui scire volunt, ut cognita vendere possint:

Turpis, & indignus quæstus at iste viro est.

Hoc vitio tu me maculatum, Mome, profaris,

Spem præter Præses quod mihi dona dedit.

Ast ego tam turpi præ quam sim labe notatus,

Quos retuli nummos, hos tibi, Mome, dabo.

Ad ejusdem expostulationes.

Dixi, Mome, dabo; non dixi, do tibi nummos;

Illuxit nondum, Mome, futura dies.

B. V. turbata est in sermone Angeli. Luc. 1.

Angelico affatu turbatur Virgo pudica;

Causa metus subiti forma virilis erat.

Illa viri facies monstri sibi visa figura est:

Tam faciem nunquam viderat ante viri.

Abiit in montana cum festinatione ad Elisabeth.

Luc. 1.

Virgo beata gradu propero montana petebat,
Ut Præcursoris cursibus aptet iter.

Vix tetigit limen, salit infans, currere gestit; A)
Jamque cucurrisset, ni vetuisset uter.

Virgo prior currit, doceat quo currere; Lector,
Ut doceas alium currere, curre prior.

Joseph voluit occulte dimittere eam. Matth. 1.

Occulte voluit Sponsam dimittere Joseph;
Namque satis Fructus ventris apertus erat.

Sed tamen occultum sub aperto non bene vidit:
Doctior Angelica mittere voce cavet.

Christus in stabulo natus.

Nascitur in stabulo de Virgine Conditor orbis,
Hic quærens hominem, qui reparandus erat.

In pecudem dudum per crimina desiit ille, B)
Ore metens gramen cum Nabuchodonosor.

At

A) Exultavit infans in utero. *Luc. 1.*

B) Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Pf. 48.*

At ferior factus desertas fugit in oras;
Insequitur JESUS, & procul inde fugit. A)

Lactat JESULUM B. V.

Überibus Gnatum lactat pia Virgo tenellum;
Non Puer ut crescat, sed magis ipsa, Parens. B)

In diem Onomasticum A. R. D. Stephani Spaits.

Cetera cum Stephani sint membra soluta minutim,
In cineres nescit dextra migrare Manus.
Talia munificæ sunt præmia reddita dextræ;
Quaque, Spaits, tendas, indice dextra monet.

*Historia Diplomatica de Scepusio Cl. Caroli
Wagner Historiographi Regii.*

Victuram semper, scriptor Clarissime, famam
Scepusio dederas, Scepusiumque tibi.
Scepusum peperit jam pignora terna decemque, c)
Pignora per pennam nobilitata tuam.

A) In Ægyptum.

B) In Gratia ex meritis lactationis.

c) XIII. Oppida Ungariæ reddita.

*In diem Onomasticum Antonii capillati, vulgo
parocati.*

Eximius cultor Patavini crederis ipso

Teste capillitio, cirrigerisque comis.

Perdideras crines; Patavinus perdita reddit:

Ejus habes crines ergo favore novos.

Nunc neque pileolis, neque eges medicamine contra

Humorum fluxus, & capitale malum.

Utere concessis multo cum fœnore cinnis;

Consortem nolis me tamen esse tuum.

Responsio Camillo, diem natalem apprecanti.

Dimidio Martem, Charites mihi dicis inesse

Dimidio: hoc agnam conciliare lupo est.

Dimidium laudas, sed carpis dimidium in me:

Dimidiam capias ergo, Camille, χάρις. A)

Ad Mathematicum.

Dona Mathematici nobis suspecta fuere,

Gustibus arrident sât tamen illa meis.

A + B Vati porrexerat hac vice tantum,

Ante — semper diripiendo dabat. B)

In

A) Gratiam.

B) Prior nota + plus, altera — minus Mathematicis significat.

*In diem Onomasticum Illustriss. ac Reverendiss. D.
Stephani Jaklin de Elephant, Elect. Episcop. Al-
misiensis, Abbatis B. V. M. de Bizere, F. M. S.
Cantoris, & Canonici.*

Ingenio, Præsul, gemma es, virtutibus aurum:
Ex auro, & gemma pulcra Corona nites. A)

Magnus liber magnum malum. Ad Petillum.

Grande malum grandis liber est; ne grande patrarem
Ipse malum, parvum scribo, Petille, librum.

Casta Poesis.

Turba Poetarum renuit me dicere Vatem,
Respuat Idalios quod mea Musa jocos.
Turba, Sacerdoti castarum parce Sororum:
Ex cerebro Vates, & sine forde parit.

Ad Martinum Hollo.

Excolis Ungaricas feliciter, Hollo, Camœnas,
Inque tuo cerebro diva Minerva sedet.
Jam parias, cerebroque deam protrude sub auras,
Ungaricus fies Jupiter, Hollo, statim.

A) Alludit ad nomen, quod est *Stephanus*, id est, *Corona*.

Carmina mala Poetae cujusdam.

Mortuus est Princeps, mortem tua carmina deflent,
Carmina post modicas emoritura moras.

Carmen, quo B. V. sopiebat in cunis JESULUM suum.

Dormi Pupule mi, & dulci te pascere sopore,
Spes hominum, Patris gloria, Pupule mi!
Dormi Pupule mi, & nigras contemne tenebras,
Lux mundi, cœli gloria, Pupule mi!
Dormi Pupule mi, & clausis orbem aspice totum
Luminibus, Matris gloria, Pupule mi!
Dormi Pupule mi, & cito cresce, salutis amator
Terrigenum, mundi gloria, Pupule mi!
Dormi Pupule mi, &, st!

Purificatur B. V.

Nemo nivem, lucemque lavat, nisi mentis egenus,
Quid niveam Matrem Mystra lavare parat?
Externa specie nigram conspexit, & intus A)
Esse ratus similem, quæque lavanda foret.
Nec vetat; æquoreis Titan quoque mergitur undis,
Non sibi, sed cæcis lumen ut afflet aquis.

Con-

A) Nigra sum, sed formosa. *Canr. 1.*

Constructio omissio debeo. Ad Nortmannum.

Fiat ut *ablato* constructio *debeo*, quidam

Debitor a ludi Præsidi sæpe rogat.

Solve age, quod debes, aufertur *debeo*, demum

Præses ait: doctus protinus ille redit.

Discipulo videar minus hoc ne forte peritus,

Carmina Nortmanno debita solvo meo.

Ad Aloysium Marium Italum.

Proximus es lingua Gonzagæ, ætate, figura,

Nomine, re, cœtu; quid superesse rear?

Ut moriare, reor: venerandis protinus aris

Imposito sacra cum prece thura feram.

Ad Lentulum.

Lentule, cum studeas bis denis amplius, oro,

Bis denis ne plus infatuere, cave.

Epistola, sermo absentis ad absentem.

Penna mihi lingua est, manus os est, litera vox est,

Audis luminibus tu mea verba tuis.



Juvenis a torpore liberatus ope B. V. Biztricensis in Croatia.

Prospexit juvenis per templi forte fenestram,
Erronemque gravis poena secuta fuit.

Languentes subitus torpor pervaserat artus,
Nilque vel infixio sensit ab ungue caro.

Ad Biztricensis Divæ se contulit æger,
Maternamque caro torpida sensit opem.

Vos patulas frontis, juvenes, cohibete fenestras;
Namque per has torpor, morsque subire solet.

*JESULUS clausum librum manu tenens sedet
in gremio B. Virginis.*

Dum sedet in gremio Matris Sapiencia Patris,
Scrutatur clauso grandia facta libro.

Nil opus est libro mysteria discere aperto
Expansos posito Virginis ante sinus.

Quidquid enim sanctum, sapiens, mirumve, decensve,
In gremio Sponsæ Spiritus almus habet.

*Imago, quæ JESULUM cum B. V. in asello
fugere in Ægyptum repræsentat.*

Cum petit Ægyptum profugus cum Matre Puellus,
Arcadici pecoris tergus uterque premit.

Ista triumphantes Heroas pompa decebat,
 Exiliumque aliis, hisce triumphus erat. A)
 Palma nec esse DEO potuit generosior, atque,
 Ne cadat, humanam pertinuisse manum.

Ad Abantium cæcum.

Turpis erat mundus, quondam tibi visus, Abanti;
 Turpior est senior: nolle videre velis.

Lectio Auctorum.

Auctorum libros lege, collige, quidquid amœni est;
 A tantum visa fit dape nemo satur.

In diem Onomasticum Francisci Seraph. Gussi.

Bisgeminis annis nos foverat una palæstra,
 Lenieris verbis quin mea fata tribus.
 Tam rigidam tulerit legem vix ipse tacendi
 Franciscus, vivax cujus imago nites.
 Nec nil profueras Patroni more tacendo; B)
 Ad bene vivendum tu mihi calcar eras.

In

A) Alludit ad triumphalem Christi Jerosolymam in asina subinde ingressum.

B) Notum est de S. Francisco, per modestiam tacendo concionante in Oppido quodam.

*In diem Onomasticum Francisci Seraph.
Rosaci.*

Tam vivam nosse Francisci pingere formam,
 Ut juraremus promere posse sonos.
 Nec tamen id præstas; metuis, ne forte loquatur:
 Pinge tua mores mente, Rosace, meos.
 Nec tamen id præstas; metuis ne forte loquatur:
 Sordidulis verbis pone, Rosace, modum.

JESULI imago, Viennæ passim visenda.

Mirabar Gnatum cur nudum Virgo Viennæ
 Sustinet in digitis, inque fluente peplo.
 Aptius ex peplo, dicebam, indusia Mater
 Fecerit, & tectum strinxerit illa manu.
 Desine mirari, Clio monet: Urbs paradifus
 Hæc est, & nudus JESULUS alter Adam.

Ad Victorem in lusu.

Sanguine cum fuso vincens Epigramma requiris?
 Sic quoties vinces, mox Epigramma feram.
 Vile petis pretium, vili sis sanguine oportet;
 Funde tamen vitam, forte Poema dabo.

Vis Vini.

Cui nimium cupido potatur gutture Liber,
Flagitium nimium liber in omne ruit.

In Natalem Andreae Musici.

Hæc est illa dies, quæ te protraxit in auras:

O mihi jucundas inter habenda dies!

Labe sua non te vitiaſſe videtur Adamus,

Nixa nec eſt ſolito more marita Jubal. A)

Pro gemitu cantus naſcentis ab ore ſonabat,

Lætitiæque fuit lacrima, ſi qua fuit.

In choreas ægræ primo modulamine matris,

Moviſtique pedes auxiliantis anus. B)

Ergo nihil mirum, ſi te, jam ſaxa trahentem,

Orphea compellat Magna Vienna ſuum.

Amiſit triduo JESUM B. V.

Tres ſe per ſoles Matri occultarat JESUS,

Ac tandem quarta luce repertus erat.

Tres latuit ſoles, triplicet quo gaudia; quatuor,

Quadruplicaturus, ſi latuiſſet, erat.

Non latet, ut lateat; ſed quæri poſcit, amatque,

Quærentem ut JESUS deliciis cumulet.

Lucidus Heſperiis Titan quoque conditur umbris,

Lumine ſed rediens uberiore micat.

Obvia

A) Primi muſici.

B) Obſtetricis.

Obvia fit B. V. Filio crucem bajulanti.

Obviam dum Christo cruce onusto fit pia Mater,
Defectus patitur Lunaque, Solque suos.

*Reverendissimi D. Joannis Filó, Abbatis B. M.
V. de Abraham, E. M. S. Canonici, & Archi-
Diac. Barsiens. Opus Novellis animarum Curato-
ribus inscriptum.*

Horrea complesti cœlestia divite messe,
Cum solitus Verbi spargere semen eras.
Instruis Agricolas modo Verbi spargere semen:
O quam Magnus eris, qui facis, atque doces! A)

In diem Onomasticum Josephi Richter.

Josephus vir justus erat; sacra Pagina prodit: B)
Hic tibi delectus jure Patronus erat.
Justitia niteat Judex quiscunque, necesse est,
Qua quis si careat, Richter inanis erit.

Pupillus pupilla oculi.

Pupillum quasi pupillam tuearis, & ejus
Sis pater, & mater, qui patre, matre caret.

Ad

A) Qui fecerit, & docuerit, hic Magnus vocabitur in Regno
cœlorum. *Matth.* 5.

B) *Matth.* 1.

*Ad Ignatium Czepan, Missionarium Neosoliensem,
cum Anno 1772. Lutheranum Ecclesiæ asse-
ruisset.*

Hæretici fauces cum caulibus ossæ spina
Introït, nullis expedienda modis. A)

Tu citus accurris, nequiesque revellere spinam,
Eripis ex orci faucibus hæreticum.

Spina Lutheranos talis si figeret omnes,
Orta foret cuivis te medicante salus.

Ad Ignatium Mülbacher.

Mülbacher, ante diem Patroni febre laboras,
Æstivoque gelu pectus, & ora riges.

Patroni gelidas gelido bibe gutture lymphas, B)
Ac clavum clavo pelle, geluque gelu.

*JESULUS e manu V. Matris grana botri car-
pit in imagine Viennensi.*

Dulce (nec invideo) bibe, gens humana, Falernum,
Dum Puero botrus sit, sapiatque meo.

Lætificant hominis, fateor, cor vina; sed una
Luxuriæ spumas gignere vina solent.

Epigramm. Miscell.

E

Inno-

A) Caudes hos cum carnibus die Veneris edebat.

B) S. Ignatii aquam iustralem.

Innocuum botrus præstat potumque cibumque,
 Et pater est natis castior ipse suis.

Vina, Puer, sed casta dabis provectior annis:

Vitis es, A) unde botrus, botrus es, B) unde merum.

In Calliodorum doctum, & superbum.

Stultitia est Cœlo docti sapientia mundi:

Tali stultitia, Calliodore, fapis.

*Christum fulminatarum in homines B. V.
 in imagine placat.*

Intonuit Christus, strepituque exterruit orbem,
 Jamque vibraturus tela trifurca fuit.

Sed prece composuit mitissima Virgo furorem,

Proque minis facili dona pluerè polo.

Nunc scio, cur toties merito mihi fulmina parcunt;

Nempe facit scutum se mihi Diva Parens.

Pictus Mathematicus per tubum vestigat maculam in B. Virgine.

Hoc si quam maculam spectare videris in Astro,
 Ex oculis lippis nascitur illa tuis.

S. Igna-

A) Ego sum vitis vera. *Joan.* 15.

B) Botrus Chanaan figura Christi.

*S. Ignatius Loj. B. Virginem spectabilem
habet.*

Dixerat intuitus coelos Ignatius: o quam
Sidera spectanti sordida terra mihi est!
Mox ubi Virgo Parens, stellis speciosior ipsis,
Ora dedit famulo conspicienda suo;
O mihi quam sordent rutilantia sidera! dixit,
Astrorum Dominam quando videre licet.
Conspiciam Numen, nihil est, quod porro tueri,
Te præter, Virgo, lumina nostra velint.

In diem Onomasticum Martini Solii.

Elicuit latebris Martinum garrulus anser,
Quo meritus caperet Pontificale Pedum.
Vir fuit eximius; nec in hoc deliquerat, omnes
Huffitas proprio quod facit esse die. A)

*In Onomasticum Ignatii cujusdam, qui dilige-
bat Leopoldum.*

Dilexit Divus socios Ignatius omnes;
Ut socios quondam Christus Apostolicos.
At Ribadeneiram tenero complexus amore est;
Joannem quondam Christus ut ipse suum.

E 2

Tu

A) *Hufs* Bohemis anser est, *Huffira*, quasi anserum vorator in nostro versu.

Tu quoque nos socios, Ignati, diligis omnes;
 At Ribadeneiram tu quoque, scimus, habes.
 Hoc Ribadeneiras vestros discriminat unum:
 Ejus erat Petrus, sed tuus est Leopold.

In Onomasticum Ignatii Benniciani.

Ploramus socii, tu rides: bella geruntur,
 Tu rides: risus quid tuus iste notat?
 Carperis, & rides: rideris, sic quoque rides;
 Risus Lojolæ fors imitare Patris?
 Riserat is juvenis, A) flebat maturior ævo:
 Ut maturescas, Benniciane, fleas.

Lites fæmineæ.

Prima movet litem mulier, postrema relinquit;
 Perficit inceptum, nil levitatis habet.

*Ad Diodorum, tempore tonitruum nimis
 paventem.*

Ora pro nobis summum, Diodore, Tonantem;
 Exitio populum liberet ipse suum.
 Quoque magis moveas, orabis, quando tonabit;
 Calcar ad orandum dat timor, unda docet. B)

Ad

A) Sub principium vitæ sanctioris.

B) Secundum illud: *Qui nescit orare, pergat ad mare.*

Ad Leonardum.

Auditu ne te pigeat, Leonarde, carere;
Hoc mala narrantur tempore sola fere.

Ad Carolum Meltzer.

Ungarica, Latiæque Lyra modularis amœne,
Atque utra præstes, pendet in ambiguo.
Laudibus efferrem te supra sidera, digne
Te nisi laudasset Magna Vienna prior. A)

B. V. stat sub Cruce Filii sui.

Quid stas, quidve Crucem conscendere, Virgo, recusas?
Scandere stō cupiens; quod nequeam, in cruce sum.

*Christus Matri commendat Joannem in filium,
& nos in illo.*

Filius ecce tuus, Mulier! Mater tua, Fili,
Ecce! duos uno corde recondat amor.
Iste *Benoni* audit, quem diro merita dolori
Corde paris, dederis cum mihi læta diem.
Angeris & quia plus, quam cunctæ parturientes,
Ævigenum Mater totius orbis eris.

Excipit ulnis Christum V. Mater.

De Cruce depositum Gnatum suscepit in ulnas
Virgo suum: magnes ecquis ad ima tulit?

Cor Matris magnes, amor est magnetica virtus,
Et peragunt chalybis mortua membra vicem.

Nec nisi vi tractum cæco clausere sepulcro,
Ac saxum adjectum, ne retrahatur, erat. A)

*Ad RR. PP. Abrabamum, & Melchiorem, ex S.
Ordine Cisterciensium, Firnavia Circium
redeuntes.*

Diluvio e mundi sacram revolatis in arcam,
Cantibus ardentes concelebrare DEUM.

Est neuter vestrum corvus, quem tædeat arcæ,
Candida sed pennis mixta Columba nigris.

Rex a Noverca servatus.

Infidiis Regem, noctis caligine tectis,
Eripuit vigili fida Noverca manu.

Privignis veræ miscent aconita Novercæ;
Privignum letho quæ rapit, illa parit.

R. P.

A) Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti.

Matth. 27.

*R. P. Antonii Khabes e S. J. mortui Ann. 1771.
corpus a morte incorruptum, in Templo Domus
Professæ Viennensis propius Aram conditum.*

Sal terræ fuerat Khabes, A) propriamque salivit
Præcipue carnem, nec putris esse potest.

Lux mundi fuerat Khabes, B) nec desinit esse;
Sub modio lucem deposuisse nefas.

Ergo sacris Aris merito vicina coruscat;
Luceat ut cunctis, jam dabit Ara locum.

*Ad Josephum Heinrenbach, Bibliothecæ Viennen-
sis Curatorem.*

Dic mihi, quot numeret tua Bibliotheca libellos?
Si dicas, laudes enumerabo tuas.

Si nequeas, neque ego; sed tantum proloquar unam:
Te tineam dicit Bibliotheca suam. c)

Ad Linum sexagenarium.

Te sexagenos annos contendis habere?

Si tot habes, ubi sunt? dic, Line, non habeo.

A) Vos estis sal terræ. *Marth.* 5.

B) Vos estis lux mundi. *Ibid.*

C) Tineam librorum multæ lectionis hominem dicimus.

Ad Carolum post defensam Philosophiam.

Non serie primus ; sed primus Marte fuisti,
 Carole , Newtoni stirps generosa patris !
 Cede locum reliquis , magnum mundi illud inane ;
 Te folio virtus inferat ipsa suo.

*Ad Spectabilem D. Emericum Hávor , Camerae
 Regiae Hungarico-Aulicae Posoniensi a Secretis.*

Est tibi , sitque , precor , natus , qui nomine Patrem
 Moribus , ingenio , nobilitate refert.
 Multa Patri debet , nec plene debita solvet ,
 Ni superet quondam dotibus ille Patrem.

*S. Dionysius Areopagita invisit ad B. V. in terris
 agentem.*

Cernere longinquis venit Dionysius oris
 Virgineam Matrem : pergere jussit amor.
 Ut vidit , cecidit , stupefactus lumine formæ ,
 Ut Saulus quondam lumine , Christe , tuo.
 Adversumque Fides , aiebat , ni sibi diceret ,
 Intrepido summam diceret ore Deam.
 At nunc , quando magis radiantem spectat in astris ,
 Hic ubi nulla Fides , a) anæ ait esse Deam ?
S. Pe-

a) Fides in Cœlo cessat , secundum illud : videmus nunc per speculum in ænigmate , tunc facie ad faciem. 1. Cor. 13.

S. Petri claves de cruce pendulæ in imagine.

De Cruce quid pendent claves, Petre? clavus earum
Cruce est; vis manat clavibus inde meis.

Ad Victorem in lusu.

Exigis, ut primum superas, Epigrammata, quamvis
Ipse trahas longas in faciendo moras.

Approbo ego neutrum: fungus cito nascitur; & quod
Non parit, at semper parturit, est miserum.

In diem Onomasticum Joannis Bapt. Simnii.

Thecas odisti, desertum diligis, atque
Voce paras mentes edomuisse feras.

Gaudeo Joannem te nomine reque futurum;
Baptistes fieri velle caveto tamen.

Ut ne forte laves, raptus fervore, lavatos,
Baptistæ ternas præficiasque notas. A)

Ad Baldum.

Dona tibi mitto, missis vox est sua donis:
Tam meritum de te, Balde, loquuntur, ama.

A) τὸ ἀνά, ut sit Anabaptista, sive rebaptizans.

*Grates Patrono, Poetam fide defendenti
versibus.*

Sic te Phoebus amet, doctæque, Patrone, Sorores,
Lividus ut periit Zoilus ense tuo.

Transadigis ferrum per viscera cara clientis,
Dum cupis, ut pereat Zoilus ense tuo.

Crudelis nimium miseratio, dignaque, cujus
Haud secus, ac Tityi, viscera vultur edat.

Ad Martirianum grandævum Neo-Myrtam.

Oppressus senio fis, Martiriane, Sacerdos:
Ah nimis ex vero te vocitabo *Patrem!*

*Ad eundem festis Natalitiis primum sacri-
ficantem.*

Editus in patulas vix venit JESULUS auras,
Ilicet in gremium convolat ille tuum.

Te propter canos, Simeonis adinstar, honorat;
Gaude, dimitti nec patiare cito.

*B. V. SS. Corpore Filii sui in vita sæpe refecta
fuit.*

Virgo sui Nati satiatur Carne frequenter,
Imo sua, Nato quam prior ipsa dedit.

Nempe DEO quidquid concesseris, hoc tibi rursus
Cedere multiplici fœnore Numen amat.

Moritur B. V. & in Cœlos assumitur.

Virgo Parens placido nimium correpta sopore,
Ab sibi cognatis contumulata fuit.

Erubuit tellus thesaurum claudere tantum,
Ac Dominam turpi stringere velle sinu.

Ergo sinum pandit: Seraphim videre jacentem,
Et rapiunt famulis mox super astra Thronis.

Scilicet evectam meritis super astra, decebat,
Æquoris, atque soli, sceptraque adire poli.

Stat a dextris Christi in Cœlis, secundum illud:
Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu de-
aurato. *Pf. 44.*

Vindicis ad dextram stat compta Virago Tonantis,
Fulmina jacturam sistat ut æqua manum.

Dominus tecum. Luc. 1.

Si Dominus tecum, te contra quæ, sacra Virgo,
Ausit avernalis bella ciere manus?

Hæreticus ciet usque tamen tibi prælia Mavors,
Jactat & in toto verba canina foro.

Sed

Sed sine, latratu Lunam terrere laboret;
In Cœlis positam dente ferire nequit.

Dæmon cornutus.

Excelso similis dum certat Lucifer esse,
Cornuto similis fit miser ille bovi. A)

In diem Onomasticum M. Michaelis Heizmann.

Salve sis, Michael Magister Heizmann,
Heizmann Pieridum, Scholæque Præses
Lincensis breve post future tempus.
Musas, quas habuit Vienna tota,
Tollens divite Lincium cerebro,
Natalem vacuam relinquis urbem.
Sed flendum magis, innocentiam quod
Aufers Angelicam e solo paterno:
Vitam nempe tuam, tuosque mores.
Sic præfers Patriæ exteros penates?
Heizmann impia stirps soli paterni!

In Religiosum male moratum.

Velantur panno nigro tua membra, sed in te
Vivit adhuc mundus: nudus abi, vel obi.

Lepi-

A) Comparatus est jumentis insipientibus. Pf. 48.

*Lepida Rusticorum disceptatio de S. Michaelis
Archang. loco sepulturæ.*

Ecquonam Divi Michaelis corpus humatum,
 Quæsit ex sese rustica turba, loco?
 Pars se scire negat, pars hoc, pars corpus in illo,
 Nescia sit quamvis, asserit esse loco.
 Emunctæ tandem naris nonnemo profatur:
 Non habuit corpus, Spiritus ille fuit.
 Mortuus exequiis careat decet ipse, sepulcro
 Te quisquis, Michael, indignisse putat.

Ad Josephum Bergman.

Questus eras, spuma tuâ quod *Chocolata* careret,
 Care Pater, questus causaque nulla fuit:
 Casta magis siquidem nunquam jentacula sumsi;
 Creditur ex spuma nata fuisse Venus.

Aliud.

Quæ Ganymedea misces mihi pocula dextra,
 Pocula sunt ipso nectare grata magis.
 Utque suo careant nativo pocula gustu,
 Hæc tua dulcedo plena sapore facit.
 Alba prius *Chocolata*, nigrum lac ante futurum est,
 Excidat ex animo quam favor iste meo.

In diem Onomasticum Ignatii Seyringer.

Nil, Pater Ignati, metuas; vivemus uterque,
 Fluxerit immodicus quamlibet ore cruor.
 Terrestris venam refecat, fanatque Machaon;
 Cœlestis faciet, si modo credis, idem.
 Aspice Lojolam, modo fracto crure jacentem,
 Jam mare, jam terras, jam peragrarè polos.

*Ad A. R. ac Cl. D. Stephanum Katona, in Regia
 Universitate Tirnaviensi Historiæ Universalis, &
 Literariæ Professore, cum Ann. 1774. Facul-
 tatis Phil. Decanus creatus esset.*

Gratia Cœlitibus! quod Philosophia Decanum
 Nacta sit Historicum; jam modo plura sciet.
 Astronomo, Græco, Physico ferviverat ante, A)
 Quin res a tergo viderit illa fitas.
 Ventura Astronomus, Physicus præsentia, Græcus
 Sublesta docuit facta referre fide.
 Te duce, præteritas res verso lumine cernet,
 Evadetque brevi Philosophia bifrons.

Ad Eundem.

Res equidem Patriæ multi scripsere; sed unus
 Instar multorum es, multaque navus agis.


Res

A) Ex his Facultatibus ante hunc lecti erant Decani Philosophiæ.

Res alii Patriæ, tu scribis totius orbis,
Scriptaque facundo scis animare stilo.
Præterea Scriptor Scriptorum diceris esse;
Scriptorum vitas scribere quippe soles.
Jam tua quis digne conscribat gesta? fatendum est,
Te melius nemo: res quoque scribe tuas.

Poeta ad suos libellos.

Ponite mœrorem, mea pignora cara, libelli,
Quod nullus vobis exhibeatur honor.
Vos vester genitor tantum modo fudit in auras;
Ætati minimæ jure negatur honor.
Sera dies ubi vos canum deducet in ævum,
Canitiem vestram sponte sequetur honor.



EPIGRAMMATUM
MISCELLANEORUM
LIBER TERTIUS.

Salutatio Angelica.

Ave M A R I A.

Jure *Maris Stellam, Dominam, Lucisque parentem* ^{A)}
Nomine consignat Diva *MARIA* suo.

Namque velut *Sidus* mortalia transtra gubernat,
Quamque regit, Lethen nulla carina petit.

Flectitur omne genu sub nomine *Principis* hujus,
Sive tuum o cœlum, terrave, styxve tuum!

Et veluti *Titan* facie collustrat Olympum:
O salve Trini gloria trina DEI!

Gratia plena.

Gratia te totam, sanctissima Virgo, replevit,
Lux ut crystalli vitra replere solet.

Mens agitare nihil valuit, nil velle voluntas,
Quod non Divinum, sidereumve foret.

Quin-

A) *Illuminatricem.*

Quinque nihil sensus, & nil illæsa cupido,
 Quod Superi nollent, ausa fuere sequi.
 Lactanti Sobolem meriti tibi *Gratia* plus, quam
 Martyribus gladius, crux, rota, flamma dedit.
 O mihi si tribuas, qua *Gratia* parte redundat!
 Coeliticum jam tum par mihi nemo foret.

Dominus tecum.

Est Dominus tecum nunquam non, Virgo, moratus,
 Dum vigil, in placido dumque sopore fores.
 Mens hunc versabat, cor hunc ardebat amore,
 Quamque suo, magis hoc stabat utrumque loco.
 Grata fuit pietas, Coelique palatia linqvens
 Sustinuit gremium Numen inire tuum.
 Desine sublimes volitare per ætheris axes,
 Jam quod amas, uteri est incola, Virgo, tui.

Benedicta tu in mulieribus.

O nimium cunctas inter benedicta Virago,
 Quam tibi dissimilis flebilis Eva parens!
 Eva colubrine mala traxit toxica morfu,
 Quamque diem nobis commodet, ante necat.
 Tu pede contristi colubri caput, atque Tonantis
 Facta parens, nobis vivere, Virgo, paris.
 Eva Erebum complet natis; tu Numinis aulam:
 Debueras nobis sola fuisse parens!

Et benedictus Fructus ventris tui JESUS.

Arbor ego vitæ, fructus benedictus JESUS;
 Hunc qui gustarit, ceu DEUS alter erit.
 Vitis ego Chanaan, botrus benedictus JESUS;
 Non sitiet, pressum qui bibet inde merum.
 Roscida ego nubes, manna est benedictus JESUS;
 Hoc quisquis comedit, fata videre nequit.
 Sic ego, sic JESUS sumus omnibus omnia facti;
 Mors tibi dumtaxat, te perimendo, nihil.

Sancta MARIA Mater DEL.

Virgo DEI Mater, simul est mea Mater; & inde
 Ipse DEUS meus est frater, egoque DEL
 Diligit hæc Mater plus me, quam diligar abs me,
 Aut tantam Matrem quam redamare queam.
 Plus quoque, quam matrum si viscera totius orbis
 Unius arderent semper amore mei.
 Sic me Mater amans, dare cuncta parata petenti est:
 Cetera sordescunt, seque, DEUMque peto.

*Ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora
 mortis nostræ.*

Ora pro nobis & nunc, & mortis in hora:
 Nititur in precibus vitæque, morsque tuis.

Causa peroranda est peccati: suscipe litem;

Peccatum causam, qua movearis, habet.

Gratia, quæ fuerat peccando perdita nobis,

Nil tibi peccanti tota reperta fuit.

Redde quod inventum; vel des æquale precando;

Nunc vitam sanctam, regna subinde poli.

Amen.

Fiet: *Amen* spondet vitam, finemque beatum:

Hic voti, hic nostræ terminus esto precis.

Defuncta Monialis suadet Sororibus usum frequentem salutationis Angelicæ.

Virgo suas visit, Cœlo delapsa, Sorores,
Juncta quibus paucis ante diebus erat.

Jam speculor Numen facie, dicebat, aperta,
Inque voluptatum flumine merfa nato.

Attamen optarem mortali vescier aura,

Gloria pro dicto quo mihi crescat AVE.

Dixit, & abcessit. Quare ne tu quoque sero

In Cœlis sapias, sæpe sonabis AVE.

In diem Onomasticum Josephi Seth, extremum ægrotantis, ac subin extincti.

Pergis in amplexus Sponsæ, Josephæ, MARIE;

Hei mihi quod socio non licet ire tuo!

Te tua maturum jam virtus reddidit astris ;
 Hei mihi, quod virtus est mea parva nimis !
 Occidis in primo vernantis flore juventæ,
Setb dictus, propera morte futurus *Abel*.

Martini Lutheri exorcismus.

Dæmona pellebat frustra de corpore Luther ;
 Non jejunantis plenior alvus erat.

Musici ex arbore lapsus.

In sterili quisquis negat arbore crescere fructum,
 Fallitur: ingentem, vidimus, una tulit.
 Musicus ascensa datus est ex arbore præceps ;
 Fructus erat mores dedidicisse leves.

In Ungarum hæreticum.

Ex Stephani Regis velles te sanguine cretum ;
 Cum potes, ex Stephani respuis esse Fide.

In iter Juli.

Quis vadit ? Julius, gemebundo præditus ore ;
 Quo ? Clagenfurtum, triste gemensque solum. ^{A)}
 Unde ? Viennensi, gaudet quæ semper, ab urbe ;
 Cur ? gemitus ejus ferre Vienna nequit.

In

A) Clagenfurtum a Germanico *Klagen*, *queri*, *gemere*.

In iter Ignatii Rauch.

Tautonicis terris *Fumi* reputatus es instar;
 Ungaricis sed jam nobile *Lumen* eris.

In Zoilum.

Usque tui rabies livoris, Zoile, crevit,
 Cantibus ut studeas me prohibere meis.
 Magna moves; sed ne nil promovisse querare:
 Latrabis tuto tu, modulabor ego.

*In alteras Primitias Emerici e Com. Tolvaj,
 quinquagenarii Sacerdotis, Tirnaviæ An. 1772.
 die Tutelari suo S. Emerico sacra.*

Vifus eras vitam viridi positurus in ævo,
 Ut Tutelaris, Magne Emerice, tuus.
 At superas lustris Divum bis terque Patronum,
 Sorteque ter fausta bis Neo-Myſta litas.
 Nempe *dies Domini*, sicut fur, sero venire, A)
 Ætatisque tuæ nonnisi nocte volet.
 Fallimur: in viridi vitam positurus es ævo;
 Nunc renovata, aquilæ more, juvena tua est.
 Argento, gemmis, auro procedis amictus,
 Vincæque Pæſtano tempora flore geris.

A) Alludit ad cognomen, quod est *Tolvaj*, i. e. *Fur*.

Ætatis sunt hæc insignia vera virentis,
 Digna quibus virtus, virginitasque tua est.

S. Emericus eidem gratulatur.

ME DEUS in tenero succidit flore juventæ,
 Ac cito sidereum carpere jussit iter.
 In senibus ferum sed vivo Clientibus ævum,
 Bisque meos primis specto litare sacris:
 Esztoras Ungaricis Emericus Præful in oris A)
 Ante quidem, Tolvaj nunc Emerice litas.
 Ipse semel juvenis juvenes bis reddo Clientes;
 Bis juvenes faciunt me semel esse senem.

*Eidem Roma gratulatur, ubi olim Ungaricum
 Pœnitentiarium agebat.*

Et tibi Magnorum generatrix Roma Virorum
 Lætitiæ segetem, materiemque fero.
 Materno cum te gremio complecterer olim,
 Edocui, quo sis bis Neo-Myſta modo:
 Edocui modicis contentum vivere mensis,
 Quo superent vitæ stamina longa tuæ.
 Acceptos referas aliis quoscunque favores,
 Dum senii matrem me venerere tui.

A) Archi-Episcopus Strigon. Anno 1738.

In Marcum, Poetam spurcum.

Ingeniosus homo non es, Marce, ingenio sus
Es potius, qui tam carmina spurca canis.

*In diem Onomasticum Francisci de Paula
Tegler.*

De Paulo, monui, non Paula, nomen habebis;
Paulus enim vir erat, foemina Paula fuit.
Usque tamen gaudes muliebri nomine: pace,
Jam Francisca potes Teglerin esse, mea.

Cur foemina a dextris viri incedat?

Ambitiosa viri dextræ se foemina jungit;
Ex lateris dextri se putat offe satam.

*B. Albertus Magnus, ex Ordine Prædicatorum;
hebes antea, ope B. V. doctissimus evadit.*

Albertus pingui cerebrum conflante Minerva
Prodiit in lucem, militiamque sacram.
Ore laceffitus sociorum, ponere furtim
Constituit demum Relligionis onus.
Propositum fregit fugitivi Virgo MARIA,
Doctrinæ summum suppeditando gradum.
Perdedit acceptum senii sed tempore munus;
Effectus pariter bis puer, & bis hebes.

*JESULUS e collo V. Matris pendulus in
imagine.*

Urebat JESUM teneris crucis ardor in annis,
Et voluit quavis pendulus esse die.
Sed desiderii obstabant iussa Parentis,
Certaque, quæ necdum venerat, hora necis.
Quod licuit, Matris cervicem strinxerat ulnis,
Sæpeque de collo dulce pependit onus.
Hæc modo *scire bonum* pendenti præbuit arbos,
Postmodo pendenti crux mala *scire malum*.

*JESULUS in sinu V. M. sedet, digito ad
mentum adducto.*

More sedet pueri, meditatur more virili;
Anne vir, anne puer, vel sit utrumque? vide.

S. MARIA ad Nives in colle Romano.

Colle nives stabant, cum Sirius ureret agros;
Virginis hæc Matris nempe fuere nives.
Iustitiæ Sol hac menses in Matre sedebat,
Virginæ solvi nec potuere nives.
Virgineis si Sol nivibus nil ipse docebat,
Sirius has potuit dissoluisse minus.

*In diem Onomasticum Joannis Nep. Kelcz, tunc
scholastici, hodie Canonici Sabariensis, &
Parochi-Soproniensis.*

Livida me quoties laniant ora, fateri,
Kelcz, posses, malles ni tacuisse - -
Tu vel laudabas bona, vel mala metra tacendo
Velabas: facta magnus utroque tuo!
Nempe loqui pariter nosti, pariterque tacere:
O Nepomuceno digna propago Patre!

Aliud.

Divinum gemina Nepomucum luce colemus:
Hac populus, Clerus posteriore colet. A)
Ille colit linguam Nepomuci rite locutam;
Hic festum linguæ rite tacentis aget.
Luce tibi Nepomucus utraque colatur, oportet,
Quo duce, Kelcz, nosti rite tacere, loqui.

*Ad eundem post defensam primo loco Theologiam
Viennæ.*

Kelcz, tam *peccatum* tutatus *originis* apte es,
Visus ut hac fueris labe carere mihi.
Hac siquidem induci solet ignorantia veri:
Te quæditorum nil latuisse patet.

A) Propter translatum Officium Divinum in diem sequentem.

In diem Onomasticum Joannis Nep. Killer.

Reginæ renuens Nepomucus prodere nævos,
Mortuus a stellis proditus ipse fuit.

Talia sunt, Killer, taciturnæ præmia linguæ:
Vis ita post mortem prodier? ergo tace.

*Ignatio Pernkopf grates pro munere
Valedictorio.*

Postremum munus tribuis *Præcepta Dekenî*,
Quæ mihi Castalii fontis adinstar erunt.

Postremum summum donorum agnosco tuorum:
Præceptis nihil est Vatribus utilius.

Cun&ta licere putant Vates sibi; jure proinde
Præceptis stringi debuit iste furor.

Quod fuerim Vates, aliorum prædico munus;
Ast, quod ero Vates jam bonus, hocce tuum est.

Antonio Gruber pro simili munere.

Cor JESU, foliumque mihi largiris odorum
In duraturæ pignus amicitiaæ.

JESU Corde meo cordi nil dulcius usquam est,
Nil nares folii mulcet odore magis.

In folio, *Vivat Vates!* Grubere notasti;
Non animo sapiunt hæc tua scripta meo.

Cum folio vitam vis Vatis raptet ut Eurus ;
 Non duraturæ hoc pignus amicitiae est.

*Poeta valedicit Josepho Aegidiis, Poetae Clarissimo,
 Anno 1771. Viennæ.*

Nostra verecundo suffusa pudore Camoena
 Horruit aspectus usque subire tuos.
 Scilicet Iscaria bubo praesente volucre, A)
 Si sapiat, raucum voce crepare cavet.
 Nec modo venisset, peregre nisi protinus iret ;
 Absenti jaculo non timet illa fodi.
 Fas modo de nostra quidvis sentire Camoena ,
 Dum sibi ter felix rite preceris iter.

Ejusdem responsio.

Buboni similem te dicis? nempe Poeta es :
 Fingere, quæ nemo credere possit, amas.
 Hoc petis, ut votis abeuntem prosequar, unum :
 Quam suaves versus sunt tibi, tam sit iter.



Versus

A) Philomela.

Versus Ungarici, necdum editi, Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Raphaelis Szentiványi de eadem, Elect. Episc. Arbensis, Præpositi de Thenö, E. M. S. Lectoris, & Canon. Consistorii Univers. Tirnav. Præsidis.


Ungarico, Præful, quæ fundis carmina plectro,
Carmina sunt auro, carmina digna cedro.
More *Sacerdotum* nos Musis thure litamus;
Præsule te gaudet turba novenna suo.

Vetus statua B. V. in angulo sacelli collocata.

Illa ego, quæ quondam speciosa locabar in aris,
Et fueram populi cuncta per ora palam;
Nunc ubi deficio, pulsus melioribus annis,
Angulus extremus vile cubile mihi est.
Scilicet a gnato perarata tempora rugis
Matri præferri sponsa novella solet.

Imago B. V. tenentis Liliam manu.

Oblectant oculos, sed nares lilia lædunt;
Te castam laudat quisque, sed esse fugit.



S. Franciscus Xav. ante Aram B. V. noctu vapulat in Indiis a dæmonibus.

Nox erat, & Xavier Dominæ delubra supremæ
Ingreditur supplex, instituitque preces.

Nec mora, & orcus adest; prostratum fuste fatigat:

Clamat is: affer opem! proh Domina! affer opem!

At Regina potens presso negat usque petitam,

Donec seminecem pene videret, opem.

Ecquid amatorem sic cædi, Virgo, tulisti?

An sit amor, duris nempe probatur amor.

*Sabbata Mariana nunquam penitus, ut vulgo
creditur, nubila.*

Hebdomadam quamvis obscurent nubila totam,

Festa DEI Matri Sabbata luce nitent.

Hæc lucem, Christum pariendo, protulit orbi;

Non decet ergo suos lucis egere dies.

Poeta æger ad B. V.

Rodimur, & docta nil proficit arte Machaon;

Rodimur in sextam viscera tota diem.

Longa fames, stomachique lues depascitur artus,

Quique fuit modicus, cessit & ille vigor.

Hæcne potes, Mater, spectare, manumque negare?

Non potes; auxilium mox tua dextra feret.

Tormine quam nullo læsit tua viscera partus,
Tormine tam nullo viscera lædar ego.

In quemdam a mensa præorantem.

Dixisti a mensa *Intro ibo pro Kyrie eleison* :
Introitum optavit non saturata gula.

*Furtum in Collegio Viennensi festa die
S. Mathiæ.*

Fur quadringentos Rhenenses luce Mathiæ
Perfidus e nostri Præsidis æde tulit.

Debuerat furis, cui successisse Mathiam
Noverat, interitu continuisse manus. A)

In diem Onomasticum Francisci Xav. Sugkup.

Heroo Xavier quo se se vinceret aufu,
Magnanimo saniem suxerat ore putrem.
Sugere quod cupias, *Sugkup* tibi nomen adhæsit,
Magnanimi soboles o generosa Patris!



Respon

A) Suspendus crepuit medius. Act. 1. Judas nempe Iſcariotes.

Responsio Natalem meum votis prosequenti Wolfgango Tóth, Poetæ Lyrico egregio, tunc scholastico, hodie in Regio Capitali Gymnasio Quinque-Ecclesiensi Classium Æstheticarum primo Professori.

Ingenti miserum supplicio necas
 Promittendo mihi stamina, non quidem
 Atro tincta colore,
 Exporrecta tamen nimis.
 Vultu Siderei dum potiar Patris,
 Et Matris gremio Virgineæ locer,
 Quamvis sceptrâ rotarem,
 Letho perpete torqueor.
 Tu me si niveo pectore diligis,
 Hosti, quæso, meo porrige munera
 Vitæ invisâ caducæ;
 Me porro juvat emori.
 Donec fata sinant æthera scandere,
 Curas interea, longaque tædia
 Spe mulcebo fideli,
 Et, Wolfgangè, Lyra tua.

Ejusdem responsio.

Clotho! tardigradam depropera colum:
 Fatalem Lachesis promito forficem,

Exporrectaque longum
Vitæ licia rumpito;

Si jurata nihil Styx vetet. Ocyor
Franciscus tereti ludere pollice;


Quam vos pensa rotare,
Aut fortes moderarier.

Vestris ille suum juribus eximit
Ævum: Siderei quippe sinum Patris,
Divinæque Parentis,
Voto non humili petit.

Frustra staminibus vel Tyrianthinis,
Regaliq̄ue moras injicitis toga:
Nil promissa moratur,
Tricas temporis aufugi.

*Ad A. R. D. Georgium Klobusiczki, Patronum
Poetarum.*

Est tibi præcipuum studium clarare Poetas,
Nec densa in vulgi nube latere pati.
Carminibus nostris animam, vitamque ministras;
Teque suum numen carmina nostra vocant.



F. Keyan S. J. primus in scrobem cingulo tenus prono corpore immissus, a B. V. haustu quopiam refocillatus erat.

In foveam pronus Keyan libaverat haustum,
 Quin tamen inverso fugerit ore liquor.
 Virgo quod hic ageret Ganymedis munus, & haustus,
 Æternam in vitam quæ salit, esset aquæ. A)

B. V. Janua Cæli.

Ad nos per Matrem Numen descendit ab astris;
 Ad se per Matrem nos jubet ire suam.

*Pueri, mei olim condiscipuli, pietas in Gyüden-
 sem Divam prope Siklos in Ungaria.*

Verrebat lingua sacrum penetrale cruenta
 Virginis accensus Matris amore puer.
 Plebs puerum cerebro rata captum pellere certat;
 Pugnatis adversum, sanaque dicta refert:
 Ne, precor, ah! ne me dulci subducite Matri,
 Sanguine promerui Virginis ore frui.
 Aspicias ingenium in scopas vertentis amoris
 Os pueri: o quantum est ingeniosus amor!

Virgo Prædicanda.

Virginis intactæ studiosus prædicat ipsam,
 Spargit & ardentis cordis ubique faces.
 Optat, ut in bustum mundus vertatur amoris:
 Non alit invidiam Virginis hujus amor.

Consolatrix afflictorum.

Dulcius Hiblæis satiant tua pectora succis,
 Samsonis, Virgo, dulcior ipsa favo es.
 Te pia mens meminisse nequit, quin protinus illi
 Permadeant miro viscera tota favo.
 Nescio, qua materna trahunt dulcedine cunctos
 Ubera, mœstorum nectar at esse scio.

*Ad Michaellem Baranyai, socium Regentis Con-
 victus Nobilium Leutschoviensis, de versibus
 fratris sui Emerici.*

Perlege, care Pater, placidus, vultuque sereno
 Carmina germani qualiacunque tui.
 Cantat olor prima vixdum lanugine tectus;
 Nobilius fundet carmen adultus olor.
 Sed tamen & teneræ quæ nescio gratia voci est:
 Sic matri gnati vocula blæsa placet.

Lex Vetus.

Vulgabat Moyſes lingua titubante vetuſtæ
Legis onus; quia *Lex illa timoris erat.*

*In diem Onomaſticum A. R. D. Georgii Szklenár;
in Regio Capitali Gymnaſio Poſoniensî Claſſium
Æſtheticarum Primi Profeſſoris.*

Martis alumnus erat, Chriſtique Georgius idem,
Amborumque ſimul caſtra ſecutus erat.

In caſtris Martis ceu Chriſti miles agebat;

In caſtris Chriſti Mars velut alter erat.

Pro Chriſto cecidit demum; ſed fortior ille

Toto Mavortis robore caſus erat.

Tu ſequeris Chriſti, non Martis, caſtra, Georgi;

Atque his in caſtris caſtra valere potes.

S. Franciſci Seraph. 5. Stigmata.

Corpore geſtabat Franciſcus ſtigmata quinque;

In cruce nam quovis tempore fixus erat.

*Ad Reverendiſſimum D. Nicolaum Konde de
Poka Telek, E. M. S. Canonicum, cum Abbas
de Candelis, alias Csavnik, factus eſt.*

Ingenii, nec non virtutum luce nitebas;

Sub modio lucem ponere nemo ſolet.

*Abbatis cum te decoravit munere, supra
Te Candelabrum Magna THERESA stitit.*

In diem Onomasticum Francisci Xav. Pulhor.

Quid tibi profuerit, totum lucreris ut orbem,
Ast animæ damnum si patiare tuæ?

Lojolides jaculo Xavierum fixerat isto,
Repentemque super traxit ad astra solo.
Hoc ego te jaculo nolim transfigere, Pulhor,
Omnia qui tecum stercoreis instar habes. A)

In Onomasticum Francisci Xav. Schletterer.

Viscera Franciscus Divino percitus ignē,
Ingeminabat: *Amo te, DEUS! o amo te!*
Has quoque tu creber fundis, Francisce, loquelas,
Attamen occulte; dissimulare studes.
Unde, rogas, norim? frustra celaveris ignem;
Promicat ex oculis sacra favilla tuis.

In Tabacam.

Quis furor est tristem naso potare voluptam?
Quæ parcat lacrimis, illa volupta sapit.

In

A) Omnia arbitror ut stercorea, ut Christum lucrifaciam. *Pbilip. 3.*



In diem Onomasticum Francisci Xav. L. B. Splényi, Convictus Regii Tirnaviensis Nobilium Regentis, hodie præterea Abbatis S. Jacobi de Simegio, & E. M. S. Canonici.

In somnis Xavier visus sibi tollere tergo
 Æthiopem, grandi pondere lassus erat.
 Tu, Venerande Pater, juvenilem sæpe cohortem
 Tempore nocturno ferre videre tibi.
 Ferre parum nocte est: fers pondus nocte, dieque,
 Sollicitus, cuivis ut satis esse queat.
 Omnia te tangunt: habitatio, lectus, amictus,
 Et cibus, & potus, vita, valere, salus.
 Fer, Pater, & dura; postquam sub mole fatisces,
 Ista cohors tergo te super astra feret.

B. V. Mater amabilis.

Mater amabilis est, clemens, pia, dulcis, amœna,
 Mellea, nil fellis, nilque rigoris habens.
 Sub Cruce nos peperit, lacrimisque piacula lavit,
 Vana quibus stirpem polluit Eva suam.
 Hæc toties rapido properantes ad styga cursu
 Flexit, & ad rectam compulit ire viam.
 Cur mage non igitur tam multis Mater amatur?
 Degeneres natos optima Mater habet,

*Statua B. V. supra portam Collegii Viennensis
renovata.*

Qua studiosa cohors in Palladis iverat ædem,
 Virginis hoc residet sculpta figura loco.
 Dente venustatem rapuit sed avara vetustas,
 Pectora nec juvenum forma trahebat anus.
 Indoluit Roman jam jam moriturus, & æris
 Totius hæredem jusserat esse sui.
 Vixit ubi Roman, nova fulsit forma figuræ;
 Si non vixisset, mortua forma foret.

*B. V. Imagini in eodem Collegio Domina quædam
 Viennensis Cor argenteum misit, postea-
 quam ejusdem, per quietem apparentis sibi, ope,
 ut referebat, ex diuturna ægritudine sub-
 ito convalescisset Anno 1770.*

Argento dives, nec non Cor dives amore,
 Mitto tibi Medicæ, Mater, utrumque meæ.
 Hoc in Corde tuo, figatur at illud in aris,
 Utque perennat amor, stent ita Corda locis.
 Si mihi mille forent, totidem tibi Corda darentur,
 Auctior & totidem partibus esset amor.
 Jam Cor, & argentum cum Cordis amore tulisti;
 Quo supero, pro te victima amore cadam.

Ad Neo-Mystam Franciscum Præsulitium.

Immensi pretii libabitur hostia per te,
 Quaque nequit major maximus esse DEUS.
 Tu tamen absumes hanc quot, Francisce, diebus:
 Heu gula quam magnas una vorabit opes!

Fides, Spes, Charitas.

Si cupimus Coeli portum contingere, nobis
 Stella *Fides* sit, *Spes* anchora, remus *Amor*.

*In diem Onomasticum Ignatii Czepan
 Missionarii.*

Spargere cœlestes, Ignati, missus es ignes,
 A quibus accendi corda gelata queant.
 Fungaris officio non segniter, igneque sclopi,
 Dum liceat, Rabulas urere sæpe flagras.
 More caminari restinguunt quippe favillas,
 Abs te jactatas, ac mage corda gelant.
 Parce, Pater, Rabulis; surgit tibi gloria major,
 Cum nihilo fecius plurima corda cremes.

In diem Onomasticum Jacobi Puchner.

Dilectus Christo primos fuit inter Jacob;
 Perdidit & Christi primus amore caput.

Diligeris nobis tu primus, care Jacobe,
 Morum ob candorem, virgineumque decus.
 Prosequeris tanto tu nosmet amore vicissim,
 Pro nobis cupias ut posuisse caput.
 Parce, Jacobe, caput pro nobis perdere velle;
 Noster amor liquidem tum foret acephalus.

Amici Christi.

Mille cruces charis Christus largitur amicis:
 Scit fabricare cruces; nam faber ille fuit.

In diem Onomasticum Josephi Vulpii.

Te cum lacte fabas Arabum potare frequenter
 Fama canit; verum non tamen illa canit.
 Lac etenim, cum sis Christi nutritius, ipsi
 Das Christo, tu autem fortia vina bibis.
 Cumque fabas opulentus Arabs divendat avare,
 Ungaricas comedis tu miser usque fabas.

*Leopoldus cæcutiens puer ope B. V. Prunensis
 ad Viennam repente visum, uti ipse testatur,
 recuperavit, factus subinde Religiosus.*

Luminibus lumen stellæ, sol, luna negabant,
 Nequidquam votis sollicitata meis.

Jamque moræ impatiens, subeo ductore bacillo
 Conspectum Lunæ, congeminoque preces.
 Emicuit subito, fraterno lumine dives,
 Meque novum sidus Cynthia Diva creat.
 Atque ait, i, latum radiis lustraveris orbem,
 Clara satellitii pars eris una mei.

In Malaporcium scurrilem.

Cum toties ructes, Malaporci, stercus ab ore,
 Credibile est morbo te Miserere premi.

*Poema Ungaricum de Trojæ excidio A. R. ac
 Cl. P. Andreae Dugonits e Schol. Piis, in Uni-
 vers. Regia Tirnav. Matheos Profess.*

Amphion cantu Thebanam condidit arcem;
 Tu Trojam cantu, Clare Poeta, novas.

Ad Neo-Myrtam Josephum Zellner.

Qui portat cœlum palmo, terramque pugillo,
 Hunc digito, Zellner Myrta, levare potes.
 Immensumque levans, terram cœlumque levabis,
 Plusque feres digito, quam DEUS ipse manu.

B. V. Speculum justitiæ.

Quisquis is es, qui menda tui vis noscere vultus,
 Virgineum speculum consule, certus eris.
 Aspice, quam multa virtutum luce coruscat,
 Ut faciem nulla labe notata micat.
 Inspiciens hic te, non ut Narcissus amore,
 Sed timeas, odio ne moriari tui.

Sedes Sapientiæ.

Musarum sedes in Virgine fixa Parente est;
 Huc concesserunt ex Helicone deæ.
 Quisquis amas doctis redimiri tempora lauris,
 Istius ad Pindi culmen oportet eas.
 Sed caveas, ni vis votorum ferre repulsam,
 Ne tibi sint comites *Liber*, inersque *Venus*.

*S. Franciscus Regis e S. J. pueris icunculas
 B. V. porrigere repræsentatur in imagine.*

Virginis effigiem, quæsitis rite solutis,
 Franciscus pueris, blandula dona, dedit.
 More triumphantum lætatur turba pusilla,
 Virgineis libans suavia mille genis.
 Franciscus pictas donarat nonnisi chartas,
 Virgo Parens pueros donat amore sui.

In pueros pictas , Præcones , spargite chartas ,
Plus aliquid chartis accipient pueri.

*Ad Reverendissimum D. Franciscum Draveccky
de Eadem , Abbatem S. Michael. Archang. in In-
sula B. V. juxta Budam , E. M. S. Canonicum ,
Archi - Diacon. Nitriens. Præfectum Semin.
S. Stephani.*

Effe Sacerdotem sanctum te dicere Princeps ,
Quem modo Mitra tegit Strigoniensis , amat.
Dotibus instructus sis quamvis omnibus , omnes
Obscurat Virtus , & tibi pene nocet. A)

*Circum B. V. varia pharmaca depicta in
imagine.*

Pharmacopœa patet cuivis hæc ; nil petit æris ,
Nil cruciat , citius spe fugat omne malum.

Ad Franciscum Dengler Neo-Baccalaureum.

Das sociis haustum Lauri decoratus honore :
Utilis est nobis Laurus , honora tibi.

Hic genius Superum est ; rebus decerpere honorem ,
Utilitate rei consuluisse suis.

Ad

A) Obscurat , ut sol ortu suo cetera fidera.

*Ad Emericum Rakoczi, cum adversum linguam
mordacem peroravit.*

Irruit in linguam mordacem lingua diserta;
Mordax victa jacet, lingua diserta tacet.

In Hrankium.

Sumendus toties novus est mihi spiritus, Hranki,
Nomine te quoties tento vocare tuo.
Italica sine jam te libertate vocari,
Absque aspirata, meque premente nota.

*Grates Paulo Praicz pro traditis mensuris
Exercitiis S. Ignatii.*

Nos dignabaris mensis, Pater, intervallo
In Manresanis excoluisse jugis.
Purgabas vitiis, tenebras e mente fugabas,
Jungebasque DEO connubio stabili. A)
At non purgasti vitiis, tenebrasque fugasti,
Junxistive DEO connubio stabili.
Paulus plantavit, necdum sed Apollo rigavit,
Atque incrementum non dedit ipse DEUS.
Hæc tamen evenient: fueras qui Paulus, Apollo
Noster eris posthac, fructificante DEO.

Ad

A) Via purgativa, illuminativa, & univiva.

*Ad Illustrissimum, ac Reverendiss. D. Ladislaum
L.B. Luzénfzky de Reglitze, Præpositum S. Georgii
de Viridi Campo Strig. Archi-Diac. Cathedr.
E. M. S. Can. &c.*

Est tibi Nobilitas, est illustrissima Virtus,
Ingenium dives Pallade, mensque sagax.
Totus es illustris, fulges intusque forisque;
Tot dotes necdum par satis ornat Honor.

In diem Onomasticum Joannis Winkler.

Coctus ut est oleo Joannes, raptus in astra
Jam levior, vidit plurima mira poli.
Ante pedes Agni vidit jacuisse coronas,
Vidit & arcani mira sigilla libri.
Ipse coqui velles, videas ut mira: sed istud
Ne speres; oleum non habet ista domus.

*In diem Onomasticum A. R. D. Davidis Zsolnai,
Cancellarii Officii Vicarialis E. M. S.*

Intra Cancellos retinet te junior ætas,
Senior in folium Pontificale ferat.

Christi pedes clavo transfixi.

Ambo pedes Christi fixi cur in cruce? lento
Sumere vindictam possit ut ire gradu.

Virgo

Virgo potens.

Omnipotens Virgo quid possit, novit avernus, a)
 Cujus supposita colla terenda pedi.
 Vulneris accepti memor, ut resonare MARIAM
 Percipit, ad tetricæ volvitur antra stygis.
 Expetit & quævis potius tormenta subire,
 Atque [Mariani Nominis igne peti.
 Nempe ferat quidvis, manet integer; una MARIA
 Sic premit, ut perimat, comminuatque caput.

Virgo Clemens.

Omnia cum possis, unum non posse videris,
 Virgo, tuam miseris velle negare manum.
 Est ita Virgineis miseratio fixa medullis,
 Ut citius nil, quam non, quod es, esse queas.
 Hinc si quis misero sibi clausa fuisse MARIE
 Viscera succlamet; non erat, ajo, miser.

*Franciscus Jancso Divæ Claudiopolitanæ cor
 vovet argenteum, moritur Cassoviæ
 Anno 1772.*

Cor ex argento Magnæ conflare Parenti
 Supremum Jancso voverat ante diem;

Si

a) *Omnipotens secundum illud: Quod DEUS imperio, tu prece,
 Virgo, potes.*

Si modo lethiferi presso sibi pondere morbi

Sustineat medicas applicuisse manus.

Complacuit votum; renuit curare sed ægrum,

Proque *Vale* voluit dicere Mater *Ave*.

Maturum Coelis animum, moresque pudicos

Quolibet argento deperit illa magis.

*Ad A. R. D. Matthæum Richváldszky de sua ad
Medicum Elegia.*

Solvisti Medicum pretiosis versibus: æris

Nil debes Medico; debet at ille tibi.

*Ad Excellentissimum D. Comitem Georgium Fe-
kete de Galantha, Judicem Curia Regia Anno
1773. ab Augusta renunciatum.*

Te juvenem quiddam divinum mente fovere

Testatus quondam Præsul Adolphus erat. A)

Auctibus immensis creverunt tempore dotes

In te divinæ, nec tenuere modum.

Munia divino gessisti plurima ricu,

Virtutum radiis, ingeniique micans.

Regius effectus Reginae munere Judex,

Divinus non es jam; quid es ergo? Deus. B)

Ad

A) Episcopus Jaurinensis e S.P. Vide Dedicacionem operis, in-
scripti: Prænotiones Hermeneuticæ N-T. Auctore Adam.
Vizer Tirnav. 1777.

B) *Dii estis*, S. Literæ ad Judices ajunt *Psal.* 81.

Ad A. R. ac Cl. D. Georgium Pray, Historiographum Ungariæ Regium.

Flavius est aurêo donatus ab Urbe Colosso, A)
 Historiæ propter scripta diserta suæ.

Tu pariter tanto jam pridem es munere dignus,
 Historiæ propter scripta diserta tuæ.

Ast eccur merito te Patria munere privat?
 Oppetat ante, inquit, tum dabo. Ne propera.

Ad Ignatium Reviczki.

Virtutum tanta præfulges luce, Reviczki,
 Ut te vix visum proinus omnis amet.

Emoriar licet usque, revixi, quando Reviczki
 Te video: o vitæ lux & origo meæ!

Ad Joannem Hibler, in Convictu Regio Tirnaviensi Præfectum.

Virgineos pueros stygii glutire dracones,
 Ut perhibent, avidi nocte dieque parant.

Sed bene custodis quod agas tu munia: virgo
 Virginibus virga, & Virgine Matre faves.

Ad

A) Josephus Flavius scriptor Hebræus, & Græcus.

*Ad Franciscum Trentel, & Josephum Berg-
man, Neosolium excurrentes aurifodinas
visum.*

Divitias Magnæ parvi pendendo Viennæ,
In Neosolinos curritis inde specus,
Hic aliquid majus visuri divitiusque,
Quam teneat gremio tota Vienna suo.
Cernitis auriparas terræ inter viscera glebas,
Unde suæ regnis suppeditantur opes.
Ditius in terris jam nil spectare potestis;
In Cœlis autem si libet, appetite.

*Ad A. R. D. Ignatium Gyurcsák, in Regio, ac
Capitali Gymnasio Neosoliensi Classium Æsthetica-
rum Primum Profess. cum in inaugurationem Epi-
scopi Neosoliensis Francisci e Com. Berchtoldt
Poemation edidit An. 1776.*

Pontificem Berchtoldt dum tollis in æthera, metris
Virgilium spiras, Clare Poeta, tuis.
Laudene sit quisquam Berchtoldto dignior, & num
Quisquam laudasset dignius, ambiguum est.

Ad Antonium Neo-Myssam.

Antoni, valde sitiebas Myssa creari,
Cum dape dum calicem sumere non licuit.

Jam Sacra lecturus, fumes calicemque dapemque;
Sed dum Sacra leges, sis cave sacrilegus.

Ad Joannem Nep. Skerlák Neo-Mystam.


Sacra Sacerdotum peragis jam munera, Skerlák;
Jamque potes mundo dicere triste Vale.
Te sibi mellifluus sponsum delegit JESUS;
Plus dabit hic mellis, quam tibi sponsa daret.

Ad Gellium Neo-Mystam.

Tempus ad hoc, Gelli, comedebas rarius Agnum,
Agnum jam cunctis Mysta diebus edes.
Esuriali Agnum comedes quoque luce; cave sed
Evadas Agnum ne comedendo lupo.

Vas Spirituale.

Diva Parens audit *Vas Spirituale*, liquorque
Gratia, qua nobis plena, sibi que viget.
Non defecturi sunt ubera bina canales:
Accedat, vexat quem sacra cunque sitis.
Haud pretium potus petit ullum; publicus est fons:
Hoc pretium reputat, si dare dona queat.



Vas honorabile.

Mater *honorandum* merito *Vas* dicitur esse,
 Visa novem lunis digna tulisse DEUM.
 Nec dignam solum censebis honore fuisse,
 Dum suus immensum Numen habebat uter.
 Marris honos superat, divoque redundat odore:
 Balsama gesta solet vas redolere diu.

*Pater quidam familiæ, cereis ad B. V. fontis sa-
 cri prope Quinque-Ecclesias delatis, ab animi
 angoribus liber fit.*

Hospes erat, quicumque volet cognoscere, cultor
 Virginis egregius; sed male tutus erat.
 Arjete pulsabat stygius caput illius hostis
 (Hoc meruit pietas, hoc Marianus amor)
 Quid faceret? Divæ fert cerea munera supplex,
 Munera, virgineæ quæ peperistis apes.
 Virgineis ceris ad votum cerea Virgo
 Exstitit, & piceæ contudit arma stygis.

*Imago B. V. diu intra armarium delitescens pa-
 rieti demum appensa.*

Jussa fuit Virgo veteri sub Lege latere,
 Certius in septis vitet ut agna lupos.

Tu quoque, dicebam, Virgo de Lege vetusta,
 Nil moror, in latebris ducito tuta dies.
 Ast quia junxisti pariter cum Virgine Matrem;
 Perpetuo clausam fasque piūque vetat.

*In diem Onomasticum A. R. D. Stephani
 Schönvisner.*

Non te Rex Stephanus, sed Martyr nomine signat;
 In mala nam nimium tempora natus eras.

De laudatissimo Poematio, quod Adamo e L. Baronibus Patachich Archi-Episcopo Colocensi inaugurato Anno 1776. adornaverat A. R. D. Jacobus Mariofa, ejusdem Bibliothecarius.

Pontificum, Aonidumque Decus, Patriæque Columnam
 Astra super mira fert Mariofa tuba.
 Non ego, non alius, solus Mariofa Poeta est;
 Si demas illum, quem Mariofa canit. A)
 Divinum spirat felix Mariofa Maronem,
 Statque gradu summo, sit licet *ima rosa*. B)

En-

a) Archi-Episcopus iste sua opera Poetica MSS. in Bibliotheca propria plura habet, ut idem Mariofa testatur.

b) *Ima rosa* Anagramma ex *Mariofa*

Encomium debitum Spectabili D. Michaeli Shoretics, in Regia Universitate Tirnaviensi Facultatis Philos. Directori, & Primario Medicinæ Professori.

Desine jam, Livor, Medicorum rodere famam,
 Immodice tamquam quisque sequatur opes.
 En Shoretics quosvis, nulla mercede recepta,
 Curat, & ætherias nonnisi sperat opes.
 Faucibus ex fati feliciter eripit ægros;
 Nam dum spernit opes, Numen adauget opem.

*Ad Reverendissimum D. Joannem Iváncsics, cum
 E. M. S. Canonicus Anno 1774. renunciatus esset.*

Gratulor in portum de tempestatibus atris
 Emerfisse tuam, Vir Venerande, ratem.
 Æquoreos scopulos superavit jam tuâ puppis;
 Nil porro adversi, quod verearis, habes.
 Non equidem, fateor, populari vectus es aura;
 Sed tua nec virtus quid populare sapit.
 Regia Majestas te promovet: ut lubet ergo
 In stallo tutus itaque, sedeque tuo.



Lutheri familiaritas cum dæmone.

Te modios, Luthere, refers cum dæmone plures
Consumsisse salis: factus es inde salax.

In diem Onomasticum A. R. D. Pauli Mohos.

Paulus Apostolici est pars tertia dena Senatus;
Par numerus non est: effice, Paule, parem. A)

*Ad A. R. D. Joannem Halász, Parochum
Dombovariensem.*

Sincero a teneris te sum complexus amore
Ob dotes animi, cum quibus ortus eras.
Crescebat tecum virtus crescentibus annis:
Creverat adversum te quoque noster amor.
Ipso te major tua crevit tempore virtus;
Ipso te jam te diligo, Amice, magis.

Rosa Mystica.

Mystica cur Virgo Rosa sit, mysteria pando:
Hæc Rosa non rutilat quolibet orta loco.
Est rosa floriferi campi Regina decusque;
Virginei pariter Virgo sacrata Chori.

Densa

A) Per additionem sui.

Densa satellitum præstant spineta rosetis;

Hanc pupugit Veneris spina nec una Rosam.

Quo rosa nata die, moriens procumbit eodem;

Perpetuum nostræ verque vigorque favet.

Turris Davidica.

Adversus Martis rabiem *Davidica Turris*

Confugium pressis, præsidiumque fuit.

Obtigit & Virgo *Turris Davidica* nobis,

Tartareus Mavors quos sine fine premit.

Neve gradus altæ pigeat conscendere Turris,

Virgo juva! dicto, Turris in arce sumus.

*Dæmon infra Nomen MARIE depictus ad
tartara ruit.*

Quo ruis, infelix? num Nomen Virginis horres?

Ad flygium patrem nuncius, inquit, eo.

Imago B. V. libros Propheticos legentis.

Dum versat veterum pia Virgo volumina Varum,

Comperit edendum Virgine Matre DEUM.

Simque, ait, o tantæ postrema ministra Parentis!

(Plus humili potuit poscere mente nihil)

Æqua petis, Virgo; tu Mater es ipsa futura;

Optasses Matrem, jam neque serva fores.

*In Dissertationem de notione Patris Ecclesiae A.
R. ac Cl. D. Francisci Nagy, in Reg. Univers.
Tirnav. Patrologiae Professoris.*

De Patribus sanctis talis tua Notio fertur,
Qualem nulla tulit Bibliotheca Patrum.

Lanius Uxoricide.

Carnifices olim Lanios vocitare solebant:
Antiqui cupidus nominis iste fuit.

*In diem Onomasticum Alexandri Horváth, Concio-
natoris Ungarici in Cathedrali Ecclesia Tir-
naviensi.*

Magnus Alexander ferro pervicerat orbem;
Vincere tu verbis ferrea corda soles.

Eripuit vitam devictis hostibus ille;
Tu victos vita non moriente beas.

Victrices palmas duodenis legit is annis;
Tu per vicanos sedulus usque legis.

Vos igitur vobis si quis contenderit, ipse es
Magnus Alexander, parvus ac ille fuit.



*Ad eundem, fratremque suum Michaelem, tunc
Concionatorem, hodie in Capit. Reg. Gymnasio
Varadinensi Studiorum Directorem.*

Alternant fratres ævum immortale gemelli
Pollux & Castor, quos bene junxit amor.
Vos alternatim dicendo, nomen in ævum
Mittitis æternum: vos quoque jungit amor.

Humilitas parens, & nutrix virtutum.

Virtutes parit, & lactat *submissio*; non dat
Lactandas aliis: viscera matris habet.

*Ad Illustrissimum, ac Reverendissimum Com. La-
dislaum Kemény E. M. S. Canonicum, &c. dum
eidem Liber versuum Ungaricorum de Joanne
Kemény; Principe olim Transilvaniæ, of-
ferretur.*

Accipe cognatum, Comes *Illustrissime*, munus;
Quidquid in hoc magni legeris, hocce tuum est.
In te Cognati laus omnis, honosque redundat;
Sed neque Cognato tu leviora facis.
Herculeis humeris Patriam suffulserat ille;
Tu parili fulcis patria Sacra modo.

Is, quod agis, facturum erat, si Myſta fuiſſet;
 Tu Princeps ſi ſis, quidquid is egit, ages.

*In diem Onomaſticum Reverendiſſimi Domini La-
 diſlai Kende, Abbatis de Zeer-Monoſtora, Con-
 victus S. Adalberti Tirnaviæ Regentis.*

Sorte Ladislaus privata vivere certus,
 Invita ſumſit Regia ſceptra manu.

Ille tamen binis plus unus Regibus egit,
 Ingreſſis ceſſos ambitione thronos.

Regia Majeſtas invitum te quoque juſſit
Abbatem; binis plus tamen unus agis.

In lare Nobilium pietatis pane juventam
 Illuſtrem Patris paſcere more ſoles.

In templis alios ita paſcis: A) dignus es ergo,
 Qui compelleris bis Pater: *Abba Pater.*

*Ad A. R. ac Cl. D. Andream Zachar, in Univerſit.
 Tirnavienſi Profeſſorem Poſeos in annum
 nonum.*

Mœcenas idem, Vates es Regius idem;
 Complexus miro munus utrumque modo.

Si Mœcenates generant ſine fine Poetas,
 Tu longe plures progenerare vales.

Octo-

A) Confeſſiones aſſiduo excipiendo.

Jamque novem Vatum generaras agmina; nec te
Effœctum soboles tam numerosa facit.

In diem Onomasticum Petri Wagner.

Stat Petrus ante fores Cœli, immittitque merentes:
Introitum serum det tibi Petre Petrus.

Sancta DEI Genitrix.

Sancta MARIA DEI Genitrix, Ecclesia cantat;
Nestorius rabido garruit ore secus. A)
Sacrilægum passî nec vermes crimen inultum,
Latrantis quibus est lingua peresa canis.
Tam bene Nestoriæ plectentes crimina linguæ,
Nestorio vermes plus sapuisse puto.

Sancta Virgo Virginum.

Virginæ Virgo, seu prima, MARIA catervæ est;
Prima DEUM voto Virginitatis amat.
Prima nivem vincit mentis, carnisque nitore,
Prima Cupidinea non violata face est.
Prima parens salvo fit Virginitatis honore;
Ante, in, post partum non vitiata vicens.

Atque

A) Contendebat hic Hæresiarcha MARIAM non DEI, sed hominis dumtaxat Matrem dicendam.

Atque ita prima fuit, simul ut postrema maneret,
Omega non perdens, quamlibet *Alpha* foret.

Imago B. V. sanguinem lacrimata seculo superiore Jaurini, & alibi.

Pannonicis terris (tam ferrea secla fuere)

Purpureas fudit Virgo doloris aquas.

Hoc tenerum Matris pectus laniaverat unum,

Quod miseri nollent Matris adire sinum.

Natio quippe suum corruperat Ungara callem,

Nec voluit medicas sustinuisse manus.

Ast modo cur non flet, quando mage crimina regnant?

Viscera tot visis sunt stupefacta malis.

In Natalem Leonardi Concionatoris, convivas tractantis.

Non auditores verbis tantummodo pascis,

Sed meliore mero, sed meliore dape.

Apposite ad motum sic sic, Leonarde, peroras;

Voce nequit pasci qui sitit, atque famet.

In Lyram A. R. ac Cl. D. Georgii Szerdahelyi, in Regia Universitate Tirnaviensi Aestheticae, & Eloqu. Profan. Professoris.

Rara avis in terris, nigroque simillima Cygno

Cantibus, o Vates! esse videre tuis.

Vox tua vox Cygni est, quamvis nigra tempora gestes;

Jamque tenes, quo vix cana senecta venit.

Semita Dircaei facta est tibi pervia Cygni,

Plurimaque in celso te levat aura polos.

Vive, precor, longum; neque canos indue crines,

Rara avis in terris semper ut esse queas.

In diem Onomasticum Leopoldi Gerubel, Concionatoris Germanici Tirnaviae.

Melle magis quid dulce? magis quid forte leone?

Et mel es, & fortis tu, Leopolde, leo.

Ut leo tunc rugis, cum crimina voce laceffis;

Ut mel dulcescis, cum pia facta doces.

In iter Excimiorum DD. Norberti, & Wenceslai, Canonorum Reg. ex Ordine Praemonstratensium.

Ad Moravam fluvium gemini revehuntur Olores;

Suavius ad patrias ut modulentur aquas.

In diem Onomast. A. R. ac Cl. D. Francisci Xav. Weifs, Astronomi Tirnaviensis, & Universitatis Regiae Tirn. emeriti Rectoris Magnifici.

Magnificus Rector donec, Vir Magne, fuisti,

Tam nobis nunquam prandia lauta dabas.

Exequias vixdum defuncto solvimus, ecce
 Ære tuo nobis mensa stupenda datur.
 Miramur magno per te data dona stupore,
 Nosque fere stupidos hæc tua mensa facit.

In diem Onomasticum A. R. D. Mathiæ König.

Supra divinum cecidit fors dextra Mathiam:
 Te supra, König, dextra, sinistra cadit.

Qui perdidit animam suam in hoc mundo, inveniet eam. Matth. 10. Ad Biantium.

Vis reperire animam? perdas; rem namque, Bianti,
 Quam non perdidit, nec reperire potes.

*Ad Socium Astronomi A. R. D. Franciscum
 Taucher.*

Concursum invitas astrorum cernere noctu?
 Non tanti somnum vendere, Taucher, amo.

Mater Christi.

Natus homo, natusque DEUS de Virgine Christus;
 Nec genuit geminos ista Rebecca tamen.
 Namque Rebecca suis lucem cum præbuit, alter
 Alterius plantæ nonnisi junctus erat.

At DEUS humanæ formæ sociatus in unam
Personam, tantum filius unus erat.

Hunc pariens peperit quia plus pariente trecentos,
Abstinuit penitus gignere Virgo dehinc.

Mater Divinæ Gratiæ.

Erravi generare ratus desisse MARIAM;

Nam per eam rursus *Gratia* parta fuit.

Vel mage nunc erro; cum *Gratia* Filius idem
Virgineus fuerit, terrigenumque salus.

Porrigit hinc cunctis certissima pharmaca vitæ,
Sed rarus mortem non amat ipse suam.

Ignatius distortis pedibus puer ope B. V. Sa-
styiniensis repente, uti ipse fidem facit, cura-
tus est, factus postea Religiosus, & Ma-
gister Scholarum.

Cruribus ad dextram, declinabamque sinistram,

Stirps ego Mulcibero ceu fata patre forem.

Non tulit id Mater Sastryinia; passibus æquis

Miliciam debes, dixit, adire sacram.

Nec mora: profilio, titubantes defero gressus,

Militiæque sacra castra subinde sequor.

Jam doceo, ne quis pedibus gradiatur iniquis,

Præterquam cum te, Virgo, Poeta canet.

*In diem Onomasticum A. R. D. Georgii Mislei,
Præfetti in Convictu Regio Tírnav.*

A colubro Virgo fuit armis tuta Georgi;
Vindice te juvenum tuta caterva manet.

*Ad A. R. ac Cl. D. Michaelem Horváth, in Regia
Univers. Tírnav. Eloquentiæ sacrae, & Theol.
Pastoralis Professore, SS. Theol. Doctorem
recens institutum.*

Quod felix, faustum, fortunatumque sit, opto:
Præcingunt frontem Laurea ferta tuam.
Laurea ferta aliis dant frontibus ornamentum;
Fronte exornantur Laurea ferta tua.

*In diem Onomasticum A. R. D. Adami (alias
Pauli) Rosos.*

Cum Superum legem nondum violasset Adamus,
Prodiit e sulcis nulla filigo, Rosos.
Innocuus sed cum peccando desit esse,
Cum tribulis pariter nata filigo fuit.
Tu quoniam innocui mores sectaris Adami,
Es re *triticeus*, voce *Siligineus*. A)

Ad

a) Rosos Ungaris idem est, quod *Siligineus*.

*Ad eundem jam Paulum, & SS. Theolog.
Doctorem.*

Saulus erat, sed fit mutato nomine Paulus,
Factus ubi Doctor totius orbis erat.

Laurea Doctorum te postquam incinxit, Adamē,
Tu quoque jam Pauli nomen, & omen habes.

In diem Onomast. Andreae Corsini.

Lauta licet non det fociis convivia, plus dat
Dando Corsinus corque sinumque suum.

*Ad Reverendissimum Dominum Andream Jaszlinszki,
C. E. Rosnaviensis Cantorem, & Canonicum
Anno 1776. renunciatum.*

Post varias, grandesque cruces pars magna Senatus
Efficeris sacri, Rosnaviamque petis.

Fessus, & afflictus per ferrea fata, sedendo
In stallis requiem, Vir venerande, cape.

Lata tibi posthac faveat fors; quamque mereris,
Det tibi gemmatam Magna THERESA crucem.

Mensis Martius.

Martius innumeris vitam mortalibus aufert;
Doctus is hos ausus a patre Marte fuit.

*De Poemate Reverendissimi D. Francisci Faicser,
Canonici Sabariensis, & in Regio, ac Capit.
Gymnasio Quinque - Ecclesiensi Studiorum
Directoris.*

Heroum succo plenum nervisque Poema
Edis, cum Magni Præsulis acta canis. A)
Vivet, & Herculeas penetrabit ad usque Columnas;
Tædia nam longæ nesciet ulla viæ.

*De Philosophia editionis sextæ A. R. ac Cl. D.
Joannis Bapt. Horváth, in Regia Universit.
Tirnav. Physicæ Professoris.*

Philosophia datur luci tua jam vice sexta;
Septenis vicibus tempore danda suo est.
Laudibus abstitam, nec te super astra levabo;
Prela fatis te bis ter repetita levant.

*Religiosus alter in candido, alter in atro
vestitu.*

Albis cur illum, cur hunc tegit ater amictus?
Mortuus hic mundo est, vivit at ille DEO.

Stella

A) Excellentissimi D. Georgii Klimo, Episcopi Quinque - Ecclesiens. qui Francisci Sacchini Libellum de ratione recte studendi magno numero Studiose juventuti donavit Ann. 1777. ineunte.

Stella Matutina.

Mane rubens astrum solares indicat axes
 Adfore, qui revehant nocte cadente diem.
 Haud aliter cæcis cum terris orta MARIA est,
Justitiæ Solis prodroma stella fuit.
 Jamque quidem venit; sed apertis visus ocellis
 Non fuit; a cæcis visus adesse fuit. A)

Salus Infirmorum.

Est infirmorum medicina MARIA salusque,
 Et sua Phæboea plus valet arte manus.
 Hic tibi, Virgo, suos oculos debere fatetur,
 Quamque videt lucem, tam tua dona videt.
 Ille valet stygiis per te redivivus ab umbris,
 Et gaudet vitam vivere posse tuam.
 Cur tamen huic non vis auditum reddere, Virgo?
 Credibile est, quod tunc mens mage surda foret.

Ædes B. V. ad Nives in colle Quinque-Eccle-
siaensi de cælo tacta An. 1760.

Virginis est niveæ concussum fulmine tectum,
 Tuta tamen sedes Virginis Ara stetit.

a) Ego veni, ut qui non vident, illi videant, & qui vident,
 illi non videant. *Joan. 9.*

Vellere Virgineæ nivis undique cingitur Ara;
 . Noluit hanc hiemis fulmen adire metu.

Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Joannis Ludovici L. B. Schwartz, Abbatis de Casar, E. M. S. Can. Lib. Reg. Civ. Tirn. Parochi, domus magnifice illuminata in inauguratione Celsiss. ac Reverendiss. Principis Josephi de Batthyán, Archi-Episc. Strig. &c. An. 1776.

Lumina sunt stellæ, cœlum domus, Incola porro
 Aut Deus, aut certe est proximus ille Deo.

Aliud de eadem domo.

Mutuat a Domino lucem domus: Ipse coruscat
 Virtutum radiis, irradiatque domum.

*Ejusdem Illustrissimi D. singularis in pauperes
 misericordia.*

Dictus egenorum Pater est non unus in orbe:
 Et Pater, & Mater tu, pretiose Vir, es.



Bibliotheca Excellentissimi, Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Georgii Klimo, Episcopi Quinque-Ecclesiens. &c. ex ejusdem in literas, & literatos singulari studio publica facta Anno 1773.

Hæc est, Antistes, tua Bibliotheca, Georgi;
Imo tui populi, quippe cuique patet.
Copia librorum rarorum est maxima; verum
Præsulis ingenio est Bibliotheca minor.

Ad Reverendissimum D. Josephum Koller, Excellentissimi D. Episcopi Quinque-Ecclesiens. Canonicum a Latere, publicæ Bibliothecæ Præfatum, &c. Authorem Historiæ de Diœcesi Quinque-Ecclesiensi, necdum editæ.

Cur premis in tenebris lucem? cur horrea claudis?
Historias, inquam, Docte Joseph, tuas.
En tenebras, patiturque famem Parnassia pubes:
Discutias tenebras, discutiasque famem.
Carceris e tenebris si detrectasset abire,
Et populo fruges suppeditare Joseph;
Pernicies quæ tum grassata fuisset in orbe,
Docte Joseph, vel me scire tacente potes.

*Ad Illustriss. ac Reverendiss. D. Antonium e Com.
Révay, Primum Episcopum Rosnaviensem
Ann. 1776. renunciatum.*

Stemmate, doctrina, meritis, virtuteque Magnus,
Consequeris primus Rosnaviense Pedom.

Te super, ut *Gemmam* radiantem, *Adamantaque* fir-
mum

Structa Domus Christi Rosnaviensis erit.

Impediet firmo mœstas *Adamante* ruinas,
Fulgebit *Gemmæ* luce corusca Domus.

*Lemmata ex S. Literis desumpta, ac versibus ex-
pressa a Reverendissimo D. Josepho Juracska,
C. E. Neosol. Cantore, & Canon.*

Divinos nitido caneres cum carmine sensus,
Tunc tibi dictavit carmen Apollo deus.

*Ad A. R. ac Cl. D. Adamum Vizer, in Regia Uni-
versit. Tirnav. Novi Testamenti Interpretem,
& Linguae Græcæ Professore, Auctorem Præ-
notationum Hermeneuticæ N. T. Anno 1777.*

Vix geminis annis Divina volumina verbis
Explicas doctæ doctior ipse scholæ;

Jam Scriptor leges luci committis apertæ,
 Queis explanari Pagina sacra queat.
 Scilicet infusas, ut nondum lapsus Adamus,
 Rerum notitias, alter Adame, tenes.

*In diem Onomasticum Reverendissimi D. Josephi
 Pethö, Cath. Eccl. Quinque-Ecclesiensis Cu-
 stodis, & Canonici.*

Josephum Christus tenero sibi jusserat esse
Custodem; Sponsæ te jubet esse suæ.
Peucensis Christi est *Ecclesia* Sponsa: tueris
 Hanc ab lascivis, Vir Venerande, procis.
 Mercedem Baculo, Mitraque biverrice solvet,
 Committetque suas mox tibi Christus oves.

Diva Cellensis in Styria.

Omnia si de te Cellensis dixero Mater,
 Omnia erunt meritis inferiora tuis.
 Te quoties posito coluerunt poplite Reges;
 Hos toties populi non coluere sui.
 Quam natura herbis, plures tu, Diva, fugasti
 Prodigis morbos, insidiasque necis.
 Corporibus vitas, animisque tacebo refusas,
 Innumerum quarum compèrio numerum.
 Feceris & ceu nil, pergis cumulare favores;
 Unaque jam tot fert, lustra quot ante, dies.
Diva

Diva Claudiopolitana in Transilvania.

In Transilvanis Virgo sanctissima terris
 Incolit astriferis æmula tecta polis.
 Divitiis nitet ara, nitet Marianus amictus,
 Fulvo nil auro vilius ut videas.
 Solque velut radios, diffundit Diva favores,
 Quos tantum nescit nescius hujus Heræ.
 Hoc Transilvano est cui vivere contigit orbe,
 Sidereo cur se vivere in orbe putet.

*Ad D. Andream Bixachich, Repetentem Mathe-
 seos in Universitate Tirnaviensi.*

Ætas, ingenium, doctrinaque posse Magistrum
 Te fieri ostendunt, discipulusque manes.
 Nempe docent quidam, quæ non didicere, Magistri;
 Cognita tu discis terque quaterque; sapis.

Effigies B. V. in cupreis nummis Ungaricis.

Ungaricis ferrum in cuprum convertitur undis;
 Cuprum autem in *Dominae* vertitur effigiem.

Pyxis ex id genus cupro.

Ante fui ferrum, sum cuprum, vestior auro;
 Veste magis vilis sumque, fuique mea.

*Imago B. V. in turri quadam Viennensi
versatilis.*

Despicit ex turri sublimi Virgo Viennam,
Mobilis in partes quaslibet acta Notis.
Mobilis, ut parti cuivis *benedicere* possit;
Angulus auxiliis quilibet ejus eget.

Mundus Vallis lacrimarum.

Hic totus mundus lacrimarum Vallis habetur;
Ne desint, quibus est quisque lavandus, aquæ:


*Ad Reverendissimum D. Georgium Richváldszky,
Abbatem ad S. Salvatorem de Kapornak, F. M.
S. Custodem, & Can. dum Celsiss. ac Reveren-
dissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Stri-
gon. Josephi e Com. de Batthyán, in Spirituali-
bus Vicarius, & Causarum Auditor Generalis
creatus esset Ann. 1776.*

Pincipis es meritis, Vir Magne, Vicarius esse,
Virtutem propter, Palladiumque decus.
Dotibus his noster te Princeps anteit; Illum
Tu sequeris propero, Vir pretiosè, gradu.
Fama super jam te Tarpeia culmina vexit,
Munificamque PII provocat usque manum.

Jamque brevi vertex capiet tuus incrementum,
Thefauros capitis Mitraque sacra teget. A)

Ad Illustrissimum Com. Stephanum Illésbázi de Eadem, Rhetoricæ Alumnum, cum in tentamine, ex universa Ungariæ Historia suscepto, ab Em. Card. Christophoro e Com. de Migazzi, Archi-Episcopo Viennensi, &c. oppugnatus esset in Palatio Universitatis Tirnav. Anno 1776.

Marte laceffivit te Præful fulgidus ostro,
Nec tamen a tanto Præfule victus eras.
Gloria magna foret vel vinci a Præfule tanto;
Sed major vinci non potuisse fuit.



Ad

-
- A) Vaticinium hoc suum Poeta impletum gaudet; nuper enim admodum, id est 7. Idus Martii, An. 1777. Vir hic præcellens consecratus est Episcopus Tenagrienfis a Celsiff. ac Reverendissimo Principe, futurus ejusdem Suffraganeus in Pontificalibus Tirnaviæ. Hoc eodem tempore Vir pariter Magnus & virtute, & doctrina, Stephanus Nagy, consecratus est Episcopus Temesiensis, futurus ejusdem Celsiff. Principis Suffraganeus in Pontificalibus Strigonii.

Ad Illustrissimum D. Josephum Ürményi de Eadem, Excelsæ Camerae Regiæ Hungarico-Aulicæ Viennensis Consiliarium, & Referendarium, dum Anno 1777. Insignis Ordinis S. Stephani Regis Apostolici Eques ab Imper. Josepho II. creatus esset.

Pegaseo sublatus equo in fastigia Pindi,
 Palladias tuleras inde reversus opes.
 Advectis opibus temet, Patriamque beasti;
 Te duce, Pannonicis regnat Apollo plagis.
 Atque ideo Cæsar te *Stemmata* honestat *Equestri*,
 Sublimem niveis Famaque portat equis.
 Sic Mœcenatem doctum decoraverat olim
 Par propter meritum Cæsar honore pari. A)

Regia Universitas Tirnaviensis Decreto Regio Budam transfertur.

Factum est, quod fieri Populares posse negabant:
 Tirnavia Budam docta Minerva migrat.
 Viribus humanis res est prope major; opusque
 hoc tantVM EXCelsi DeXtera præstiterat.*
 * hæc MVtatio DeXteræ EXCelsi. Ps. 76.

Paræ-

A) Mœcenas, Vir doctissimus, e Regum Etruscorum sanguine oriundus, Ordine Equestri præ modestia contentus in Augusti Cæsaris Aula vivebat.

Parænesis ad Lectorem.

*Invidus es, si nil, si laudas omnia, demens:
Hoc lauda, hoc melius fac, precor, ipse metrum.*

O. A. M. D. G.

Et Magnæ Hungarorum Dominæ Honorem.

ERRATA CORRIGE.

Pag. Lin.

40.....17.....dolore.....dolere
45.....19.....trepidale.....trepidabile
47.....11.....Charragine.....Carthagine
88.....20.....docebat.....nocebat
122.....4.....Zeer-MonostoraZeer-Monostira ;

NB. Pag. 36. Lin. 6. Septicipem lege *contracte* metri causa pro Septi-
cipitem.

